gentis narrabat, et cunctorum affectus ad considerandam diuinae pietatis gratiam, illo, quo ipse ardebat, charitatis igne accendebat.

Exinde incertam humanae uitae metam attendas, illudque de libro beati Iob assidua meditatione reuoluens; *nescio, quandiu subsistam et si post modicum tollat me factor meus*; omnia, quae dudum inchoauerat coenobiorum et ecclesiarum septa, quantocius consummare accelerabat. Sed et necessariis quibusque domicilia et hospitalia pauperum Christi, ut bonus paterfamilias, sufficienter accumulare satagebat, ne, si quid in his neglectum foret, de mercede sua subtractum postea doleret.

Sed pio praesule in his partibus toto conamine diuinis operibus insudante, antiquus hostis ueneno inuidiae tabescens, tot animarum detrimenta sibi in Pomerania succrescere doluit, ideoque bono semini zizania superseminare studuit. Nam duae praecipuae illae ciuitates *Iulin* et *Stetin*, instinctu inimici, apostasian incurrerunt, abiectoque ueri Dei cultu, priscis daemoniorum ritibus se perdendos prostituerunt. Hoc autem, quo ordine sit factum, uel qualiter secundo pii Ottonis apostolatu, per Dei gratiam, mirifice sit recuperatum, tertius liber, domino annuente, explicabit.

Deficiunt a fide de Iulina et Stetina.

TITVLI LIBRI TERTII.

CAP. I. *De apostasia duarum ciuitatum* Iulin *et* Stetin, *et de ultione diuina super eos facta.*

II. *De liberatione* Vuitischardi *et de periculo maris eodem liberato.*

III. *De secunda profectione S. Ottonis ad Pomeranos apostatas.*

IV. *De aduentu ipsius ad urbem* Timinam, *et de apparatu bellico, quem ibidem inuenit.*

V. *Quomodo dux* Wortislaus *suos ad colloquium uocauerit et ad fidem Christi hortatus sit.*

VI. *Quomodo* Vdalricus *presbyter et* Albinus *interpres* Hologast *ciuitatem adierint, et de periculo euaso.*

VII. *De periculo clericorum in eadem ciuitate, et de uno ad templum confugiente.*

VIII. *De operibus eius in Chozegowa.*

IX. *De legatis marchionis* Adelberti *de Saxonia et de seditione sacerdotum idolorum facta.*

X. *De dedicatione ecclesiae, ad quam plures conuecauit ac magnalia quae egit.*

XI. *De duce Poloniorum, qualiter Pomeranis bellum indixit, sed per beatum Ottonem mitigatus bello renunciauit.*

XII. *De* Vdalrico *sacerdote, missoper S. Ottonem pro conuersione* Veranorum *et de periculo eiusdem.*

XIII. *Qualiter pontifices idolorum in mortem sancti Ottonis populum excitauerunt.*

XIV. *De duobus Rumbonibus mirae magnitudinis, captis et sancto Ottoni per piscatores alatis.*

XV. *De incisione* nuceae *arboris et periculo episcopi.*

XVI. *De profunda inclinatione* Adelberti *presbyteri post euasionem periculi.*

XVII. *Quomodo* Stetinenses *fidei reconciliatos duci suo reconciliauerit, et de interitu sacerdotum episcopo insidiantium.*

XVIII. *Quomodo episcopus transitis insidiis Iulinam uenerit, et ipsam de apostasia correxerit: et de illuminata ibi caeca muliere, et de filio lunatico militis in papilione reliquiarum liberato.*

XIX. *De* Bocho *presbytero, et segete incensa in die S. Laurentii martyris, et de muliere a morte reseruata, et de milite frenetico sanato.*

XX. *De bello inter Ruthonos et Stetinenses et de uictoria Stetinensium.*

XXI. *De reuocatione S. OTTONIS per* Lotharium *Romanorum regem.*

XXII. *De uisione religiosi* Lipoldi *presbytero de obitu S. Ottonis.*

XXIII. *De uisitatione fratrum in monte S. Michaelis per S. Ottonem facta.*

XXVI. *De transitu S. Ottonis.*

LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De apostasia duarum ciuitatum Iulin *et* Stetin, *et de ultione diuina super eos facta.*

Ebbo. Haec non habentur in edit. Canis.

CVm infatigabilem domini ac patris nostri, pii OTTONIS episcopi, affectum, quo gloriam et cultum Christi non solum in Teutonicis, sed et in remotis barbarorum finibus euangelizando propagauit, assidua meditatione reuoluerem, nefas iudicaui, tam laudabilia eius gesta infructuoso tegi silentio; unde non praesumptionis, sed potius intimae charitatis spiritu ductus, de secundo eius apostolatu in Pomerania, sicut fidelis cooperator ipsius * *Vdalricus* presbyter S. Aegidii mihi innotuit, scripto tradere curaui. Nam de primo alias scriptum est. Legat ergo qui uoluerit; inuitum et fastidientem nemo legere compellit.

** De quo Andreas in praefat. huius operis.*

Beatissimo patre nostro Ottone, post primum gentis Pomeranicae apostolatum ad sedem propriam feliciter reuerso, duae ex nobilissimis ciuitatibus, id est *Iulin* et *Stetin*, inuidia diaboli instigante, ad pristinas idololatriae sordes redire, hac uidelicet occasione. Iulin a Iulio Caesare condita et nominata, in qua etiam lancea ipsius columnae miraE magnitudinis, ob memoriam eius, infixa seruabatur, cuiusdam idoli celebritatem, initio aestatis maximo concursu et tripudio agere solebat. Cumque uerbo fidei et baptismi lauacro urbe mundata, per beatum pontificem idola maiora et minora, quae in propatulo erant, ignibus conflagrare coepissent, quidam stultorum modicas idolorum statuas, auro et argento decoratas, clam furati, penes se E absconderant, nescientes, quale per hoc urbis suae operarentur excidium, sicut et infelix *Achan*, qui Hierichuntina urbe subuersa, auream regulam quinquaginta siclorum, cum pallio coccineo et ducentis argenti siclis furatus est, indeque grauem caelestis irae uindictam et Iudaicae plebis uidit ruinam.

Qua de caussa Iulina et Stetina a fide defecerint.

Iulina a Iulio Caesare condita.

Ios. 7.

Nam ad praedicti idoli celebritatem, cum, prouincialibus solito feruore concurrentibus, ludosque et comessationes F multiformi apparatu exhibentibus, ipsi dudum absconditas simulacrorum effigies, populo inani laetitia resoluto, praesentantes, eos ad antiquum *paganizandi* ritum impulerunt, statimque per hoc diuinae correptionis plagam incurrerunt. Siquidem ludis et saltationibus, paganico more, omni populo occupato, subito ignis Dei cecidit e caelo super apostatricem ciuitatem, tantaque uiolentia tota urbs conflagrare coepit, ut nemo quippiam de rebus suis eripere ualeret, sed animas tantum suas saluare cupientes, fuga pernici saeuiens incendium uix euaderent. Tandem uero, urbe sua ignis atrocitate deleta, reuersi, inuenerunt ecclesiam *S. Adelberti* per apostolum suum Ottonem, illic in meditullio, propter raritatem lapidum, firmo lignorum tabulato constructam, ex media B parte flammarum uaporibus absumptam: sed mirum in modum sanctuarium, quod uiliori schemate, id est, arundineto contectum fuerat, subter habens pannum lineum oppansum, propter uermiculos ab altari arcendos, omnino ab ignibus intactum remanserat. Quo ingenti uiso miraculo, tota plebs in laudem Dei summa clamoris exultatione C personabat, asserens, procul dubio uerum hunc esse Deum, qui in tanta ignis uiolentia, quae etiam lapides comminuerat, arundinetum suo altari oppansum reseruare potuerit illaesum: sicque aduocatis sacerdotibus christianis, publicam egere poenitentiam: et abiuratis penitus idolis urbeque sua, prout poterant, reaedificata, iugo Christi ceruices suas alacri deuotione submiserunt. Hoc modo diuinae correptionis D plaga salutem in terra eorum est operata.

Vltio diuina in apostatas.

Ecclesia S. Adelberti media ex parte flammis absumpta.

Ingens miraculum.

Stetin uero amplissima ciuitas, et maior *Iulin*, tres montes ambitu suo conclusos habebat; quorum medius, qui et altior, summo paganorum Deo, *Trigelaus* dictus, * tricapitum habebat simulacrum, quod aurea cidari oculos et labia contegebat, asserentibus idolorum sacerdotibus, ideo summum Deum tria habere capita, quonia tria procurat regna, id est caeli, terrae et inferni: et faciem cidari operire pro eo, quod peccata hominum quasi non uidens et tacens dissimularet.

** Trium capitum uel triceps. Triglaff.*

Hac itaque potentissima ciuitate ad ueri Dei agnitionem per beatam praesulem adducta, delubra idolorum flammis erant absumpta; duaeque ecclesiae, una in monte * *Trigelai*, sub honore *S. Adelberti*; alia extra ciuitatis moenia, in ueneratione S. Petri, erant excitatae: et ex hoc sacrificia, quae copioso apparatu et diuitiis, sacerdotibus fanisque idolorum exhibebantur, nunc ecclesiae Christi uindicabant: unde commoti sacerdotes, et prioris pompae delicias quotidie sibi decrescere uidentes, occasionem quaerebant, ut populum ad idololatriam, quaestus sui gratia, reuocarent. Accidit ergo, mortalitatem magnam ciuitati superuenire, et requisiti a ple-

** Triglaff.*

Sacrificuli ethnici famem metuentes, populum ad defectionem sollicitant.

plebe ſacerdotes, dicebant; abiuratio-A nis idolorum cauſa hoc eos incurriſſe, omnesque ſubito morituros, niſi antiquos Deos ſacrificiis et muneribus ſolitis placare ſtuderent. Ad hanc uocem ſtatim conuentus forenſes aguntur, ſimulacra requiruntur, et in commune profanus ſacrificiorum ritus ac celebritas repetitur: eccleſiae Chriſti ex media parte deſtruuntur. Cumque ad ſanctuarium plebs furibunda ueniſſet, non B auſa ulterius progredi, ſummum idolorum pontificem ſic tumultuoſo ſtrepitu alloquitur.

Tumultuantis plebis ad praecipuum papam oratio.

Ecce, quod noſtrum erat, executi ſumus, tuum eſt iſtud caput et culmen *Teutonici Dei* pro officio ſuo aggredi et profanare. Ille autem, arrepta ſecuri, cum altius dextram libraſſet, ſubito diriguit et reſupinus corruens, clamore lamen-

Punitur impius ſacrificus.

tabili dolorem ſuum proteſtatus eſt. Ac-C currens uulgus cauſam doloris requirit. At ille grauiter ingemiſcens; *heu, proh dolor*, inquit, *quantae potentiae, quantae fortitudinis eſt TEVTONICVS DEVS, et quis reſiſtet ei? Ecce ego, quia ſacraminis eius aedem contigere praeſumpſi, quomodo percuſſus ſum.* Illis uero attonitis et, quid agerent, inquirentibus; pontifex eorum: *aedificate*, ait, *hic domum Dei ueſtri, iuxta aedem TEVTONICI DEI,* D *et colite eum pariter cum diis ueſtris, ne forte indignatus* interitum huic loco quantocyus inferat; qui praecepto eius paruerunt, et usque ad reditum piiſſimi apoſtoli ſui OTTONIS in hoc errore permanſerunt.

CAPVT II.

De liberatione Wirtſchachi, *et de periculo maris eodem liberato.* E

SEd interim non deſtitit diuinae pietatis prouidentia, quae ſemper conuerſionem errantium deſiderat, paterna eos lenitate redarguere, per quen-

Vide edit. Canis. cap. 13.

dam potentiſſimum de ciuibus ſuis, *Wirtſchachum* nomine, mirabiliter ab hoſtium captiuitate et maris periculo libera-F tum, quod nullatenus ſilentio praetereundum eſt: maxime cum per abſentem licet beatiſſimum Pomeranicae gentis apoſtolum, tam euidens miraculum Chriſti operari ſit dignatus. Siquidem orientalis eſt regio barbarorum Pomerania, habens ex latere prouinciam *Danorum*, mari interiacente; tantaque eſt maris latitudo, utramque diuidens re-G gionem, ut, qui in medio nauigans ſereniſſima die poſitus fuerit, uix prouincias has ad inſtar minimae nubis conſiderare ualeat.

Wirtſchachus ciuis Stetinenſis ditiſſimus.

Hic itaque ciuitatis Stetinenſis gloria ex diuitiis inter ſuos opinatiſſimus, frequenter in prouinciam *Danorum* nauigare, et praedam ex ea agere ſolebat: ſicut et illi e contra in Pomeraniam crebras incurſiones piraticas faciebant. Sed eo tempore, quo ciuitas ſua apoſtaſiam, ut praediximus, incurrerat, idem praepotens uir *Wirtſchachus*, copioſo ſex nauium apparatu, *Danos* ſibi infenſos pete-

capitur a Danis.

bat; et non praeuiſas incidens inſidias, cum omnibus ſuis captus eſt; ſociisque crudeliter ſtrangulatis, ipſe ſolus carceri traditur, collo, pectore, manibus, pedibusque graui catenarum nexu, quaeſtus duntaxat gratia, compeditus.

In hac arctiſſima recluſione poſitus, ſingulisque momentis, quando ad mortis atrociſſimum ſupplicium traheretur, ſuſpectus, piiſſimi apoſtoli ſui memoriam reuoluere coepit, a quo ipſo dudum de ſacro Chriſti fonte ſuſceptus erat, et C ſalubri lacrymarum imbre perfuſus, hanc ſupplicem domino ex omnibus cordis medullis profudit orationem: *domine Deus omnipotens, qui nos ad cogni-*

Oratio eius ad Deum.

tionem nominis tui, per os ſancti patris noſtri Ottonis epiſcopi, uenire tribuiſti; miſerere et ſuccurre mihi in hac tribulatione, per eius beatiſſima merita, qui me licet indignum de ſacro nouae regenerationis lauacro ſuſcepit, ut, ſi uera ſunt omnia, quae ex ore eius de tua inaeſtimabili pietate audiui, nunc in tam horrendae mortis imagine poſitus experiar, et tuo munere abſolutus, deinceps ab hac piratica inuaſione deſiſtam, tuaeque religioni debita deuotione iugiter inhaeream.

Haec cum dixiſſet, ex multa moeroris et inediae defectione in ſomnum reſolutus eſt, continuoque dilectum apoſtolum ſuum Ottonem cernit, pontifica-E li infula redimitum, adſtare et uirga pa-

S. Otho apparet Wirtſchacho.

ſtorali latera dormientis pulſare. Qui attonitus et prae gaudio lacrymans, hac flebili uoce eum compellat. O pater ſancte, o ſerue Dei uiui, quis te ſic inopinatum his appulit oris? At ille; *propter te*, inquit, *ueni: ſurge quantocius, et ſequere me.* Cui captiuus: *quomodo*, ait, *domine pater, ſurgam tantis catenarum nexibus irretitus?* Tunc pater benignus, F ſigno crucis edito, erexit eum, ſtatim-

Liberatur ex uinculis opo S. Othonis.

que uincula eius, coeleſti uirtute, dicto citius, ſoluta ceciderunt in terram. Cui ſeruus domini: *Ecce*, ait, *abſoluit te Chriſtus, cui credidiſti. Memento, ut, cum redieris in terram tuam, omnibus ciuibus tuis legationem meam proferas. Grauem quippe offenſam Dei incurrerunt pro eo, quod* G *cultu eius neglecto, priſcis idololatriae ſordibus ſe polluere ueriti non ſunt: et, niſi quantocyus reſipiſcant, coeleſtis irae uindictam aut hic, aut in futuro ſeculo, multipliciter incurrent.* His dictis euanuit ex oculis eius.

At ille concitus egrediens, cursu rapidiſ-

pidissimo uenit ad mare. Sed, quid age-A ret, dubius intra semetipsum uariis cogitationibus aestuabat dicens: *ecce Deus per merita beatissimi patris mei Ottonis absoluit me: sed quomodo tanta maris spatia sine naui transibo?* Haec animo uoluens in tetrae noctis silentio, aspicit modicam coram se nauiculam, littoribus sine uectore appulsam, in qua non nisi unus homo gnarus et exercitatus in his, uehi posset: quam sine cunctatione ingressus, pelago se committit, sola fide munitus, et haec secum reputans: *satius duco in profundo maris, si sic necesse est,* * *introire, quam denuo cruentas hostium manus incidere: qui, si me, quod absit, in hoc littore comprehenderint, nouis et inauditis cruciatibus laniatum crudeliter strangulabunt.*

Diuinitus offertur ei nauicula.

**Interire.*

Sed adscendente eo in nauiculam statim dominus uentum ualidissimum misit in mare, qui eum sine mora ad littus Stetinensis ciuitatis sine remige perduxit. Et egressus ad terram, cum lacrymis Deo omnipotenti et beatissimo patri suo Ottoni debitas gratiarum actiones exsoluit, maximoque ciuium suorum gaudio et admiratione susceptus, omnem iacturae et ereptionis suae ordinem eis exposuit: qui etiam in testimonium miraculi huius, nauiculam ipsam in portae urbis introitu suspenderunt. Sed a malis incitati sacerdotibus, legationem pii doctoris sui spreuerunt, in eodem errore durantes, quoad usque praesul ipse, denuo eos uisitans, ad uiam ueritatis reuocaret. Quod, quo ordine factum sit, subsequens narratio declarabit.

sine remige transfretat.

Venit Stetinum.

Liberationis suae modum exponit.

CAPVT III.

De secunda profectione S. Ottonis ad Pomeranos apostatas.

Ebbo.

IGitur electus Dei pontifex audiens inimicum bono semini zizania super seminasse, non est passus Stetinenses claudicare in duas partes, domino et idolis seruiendo; sed, petita benedictione a domino apostolico Honorio, et serenissimo rege Lothario, barbarorum fines rursum adire disposuit, tam pro apostatis ad sinum ecclesiae reuocandis, quam etiam pro alia gente, uidelicet *Noim* dicta, quae necdum nomen Christi audierat, iugo fidei subigenda.

anno Christi 1128.

Praeparatis itaque paterna prouisione abundanter uitae necessariis, pluribus etiam uerbi ministris et cooperatoribus, religione et industria pollentibus, accitis, in coena domini sacratissima, mox post confectionem chrismatis et missarum solennia deuote peracta, ieiunus ac sandaliis, sicut altari adstiterat, ornatus, elato crucis uexillo, iter praedicationis arripuit, iuxta quod scriptum est; *quam speciosi pedes euangelizantium bona.* Rom. 10.

Altera S. Othonis in Pomeraniam profectio.

Omnibus ergo filiis suis amantissimum patrem lacrymis prosequentibus, et prospera ei supplici affectu imprecantibus, ipse fide armatus et galea salutis munitus, ciuitatem inimici expugnare ac destruere aggressus, primam mansionem habuit in curia Babenbergensis ecclesiae, quae *Grouuze* dicitur, ubi authenticum* mandatum suis, more solenni, celebrauit. Sequenti uero die post officii et sepulturae domini celebrationem, inde digressus ad urbem antiquam, uocabulo Kirchberg deuertit: ubi sabbathum sanctum paschae et ipsam dominicae resurrectionis diem summa deuotione peregit. Feria secunda paschae monasterium nouiter a se constructum Regenherestorf expetiit, quod et feria III. paschae, in honore S. Ioannis baptistae, debita cum ueneratione dedicauit, multum se iterque suum beato Ioanni, intimo patrono suo, commendans.

* *Intelligit pedum lotionem die coenae domini fieri consuetam.*

Post haec tota paschali hebdomada, in possessionibus ecclesiae *Schidingen* et *Mucheln*, pro necessariis uiae sumptibus aggregandis, occupatus, insignem illam Saxoniae metropolim *Magdeburg* adiit, ubi a dilecto suo* *Noriperto* archiepiscopo honorifice susceptus est. Sed quia semper gloriam sequitur aemulatio, idem archiepiscopus cernens, eum de tam longinqua regione ad officium praedicationis superuenire, et pudore actus, quod ipse in ciuitate gentium barbararum positus, nihil tale aggredi praesumpsisset, inuidia stimulante, pium doctorem aliquandiu retardare uoluit. Sed ipse feruens in spiritu, nullatenus a bono proposito reuocari potuit.

* *Norberto.*

Itaque petita ab eo benedictione, postera die, * *Adelhergensem* † episcopatum petiit, quod tunc paganorum crebris incursionibus ita destructum erat, ut Christiani nominis uix tenues in eo reliquiae manserint. Nam ipsa die aduentus eius ciuitas uexillis undique circum posita, cuiusdam idoli, *Gerouiti* nomine, celebritatem agebat. Quod uir domini ut aduertit, corde tenus pro tali errore compunctus, urbis moenia ingredi recusauit. Sed, ante portam consistens, *Wirikindum*, eiusdem loci dominum, accersiuit; et cur hanc idololatriam exerceri pateretur, obiurgauit: qui protestatus plebem, archiepiscopo suo *Noriperto* rebellem, eo quod duriori seruitutis iugo eam subiugare tentaret, nullo modo cogi posse fatebatur, ut ab eo doctrinae uerbum susciperet, sed prius mortis occasum, quam seruitutis huiusmodi onus subire paratam esse. Ideo uero idem *Wirikindus* supplicabat episco-

* *Hauelbergense.*

† *Episcopium.*

Solennitas Ethnica. De isto Gerouito infra, cap. 8. forte legendum Herouito.

S. Otho domicilium loci obiurgat ob toleratam idololatriam.

ſcopo, ut eidem ciuitati errorem ſuum pandere ne abnueret, dicens; monitis eius multo ardentibus plebem, quam archiepiſcopi ſui iuſſionibus obedire. Qui ſtans in edito ante portam ciuitatis; omni populo coadunato, uerbum ſalutis praedicabat et abdicationem huius ſacrilegae celebritatis facile apud eos obtinuit, proteſtantibus eis baptiſmi gratiam ſub alio archiepiſcopo prompta uoluntate ſuſcepturos. Pius uero praedicator eidem *Wirikindo* magnam auri quantitatem et coniugi eius pſalterium precioſum, ſolita uſus beneuolentia, tribuit: ibique diuerſa itineri neceſſaria cum triginta plauſtris comparauit.

S. Othonis concio ad Hauelbergenſes.

Fructus concionis.

Munera data Wirikindo.

Deinde a *Witikindo* exquirere coepit, ſi ducatum ſibi per regionem ſuam, ſicut in Merſeburgenſi oppido, coram glorioſiſſimo rege Lothario ei ſpoponderat, praebere paratus eſſet? qui abnuens, reſpondit, eum per terras hoſtium ſuorum paulo poſt tranſiturum, ideoque ducatum ei praebere non poſſe, ne forte ſatellites ſui ab eisdem hoſtibus capti et iugulati interirent. Tum pater amabilis, fortiſſima Dei manu ſuper ſe inuocata, coepti itineris curſum aggreſſus eſt.

Erat illic uaſtiſſima ſilua, qua diebus quinq; transmiſſa, uenit ad ſtagnum miræ longitudinis, ubi homuncionem paruae inſidentem nauiculae contemplatą, copioſam ab eo piſcium multitudinem comparauit; ſed ipſe, mirum dictu, argento multo, aliisque ſpeciebus ſibi propoſitis, nihil precii, niſi tantum ſal accipere conſenſit. Dicebat enim ſe ſeptennio panem non guſtaſſe, ſed piſcibus tantum et aqua ſtagni illius uitam alere inopem. Siquidem capta a duce Poloniae prouincia, ipſe cum uxore ſua fugiens, ſecuri et aſcia ſua aſſumpta, paruam in medio ſtagni ipſius planitiem inuenit: ubi aedificata domuncula, ſecure habitabat, tantamque ſiccatorum piſcium multitudinem aeſtiuo tempore congregabat, ut tota hieme ſuperabundaret: quibus etiam condiendis non paruam ſalis quantitatem a bono praedicatore coëmit.

Piſcator pro uenditis piſcibus ſalem petit, repudiatis numis; et quare.

Erat etiam illic barbarorum natio, quae *Morim* uocabatur, Haec, audita beati praeſulis opinione, ultro ſe fidei ſacramentis ab eo imbui expetebat: ſed ipſe uir prudens et ſagaciſſimi ingenii, ad *Noripertum*, archipraeſulem ſuum, eos dirigebat, dicens: illicitum eſſe ſuper alienum fundamentum aedificare, ſe potius ad remotiores gentes, edicto domini papae et literis *Wortizlai* ducis Pomeraniae euocatum. At illi; *Magdeburgenſem* ſe nolle ſequi proteſtantes: quia grauiſſimo ſeruitutis iugo eos opprimere niteretur, ei, tanquam pio Dei ſeruo, ceruicem cordis humiliter ſubmittere et dictis eius per omnia obedire pollicentur. Quorum deuotionem intuens, benigne reſpondit, ſe quidem interim ad gentes ſibi commiſſas tendere; ſed poſt earum conuerſionem, ſi in hac uoluntate perſiſterent, auctoritate et permiſſu domini papae atque uoluntate et conſenſu *Noriperti* archiepiſcopi, eos impigre uiſitaturum.

Saxones ſubiecti archiepiſcopo Magdeburgenſi *petunt baptiſmum a S. Othone.*

CAPVT IV.

De aduentu eius ad urbem Timinam, *et de apparatu bellico.*

IGitur ueniens ad urbem *Timinam* maximum illic belli apparatum hoſtilemque *Luticenſium* incurſionem reperit. Nam *Luticenſes*, quorum ciuitas cum fano ſuo, a glorioſiſſimo rege LOTHARIO, zelo iuſtitiae, nuper erat igni tradita, urbem *Timinam* uaſtare ciuesque eius captiuare nitebantur: ſed ipſi eis utiliter reſiſtentes, *Wortizlai* ducis auxilium requirebant. Dux uero beato patri noſtro aduentum ſuum illic praeſtolari mandauerat, quem etiam perbiduum, non ſine periculo capitis ſui, intra hoſtiles diſcurſus expectabat. Ipſa uero die aduentus praeſulis eximii, *Timinenſes* ante portam conuentus forenſes agebant. Sed quia ciuitas in ualle poſita erat, ipſo de montibus cum tam copioſo triginta plauſtrorum apparatu deſcendente, plebs omnis tumultuoſo hoc perterrita ſonitu hoſtiumque cuneos ſuper ſe arbitrata irruere, urbem quantotius ingredi, ſeque ad reſiſtendum praeparare molitur.

Ebbo.

Dâmmin.

Demina *ſeu* Damina.

Luticenſes oppugnant Timinam.

Implorant opem ducis Pomeraniae.

Timinenſes terrentur aduentu S. Othonis.

Appropinquante ſeruo Dei, nihil armorum in circuitu eius, ſed potius uexillum crucis deprehendit, ſtatimque pium OTTONEM, fama apud eos celeberrima uulgatum, agnoſcentes, alacri deuotione occurrunt moeniaque ciuitatis intrare depoſcunt, qui renuens urbem idololatriae ſordibus pollutam ingredi, ante portam, fixis tentoriis, habitabat; interimque accerſitos ad ſe primates plebis ad fidei chriſtianae et lauacri ſalutaris gratiam, inira praedicationis dulcedine, prouocabat. Sed antiquus hoſtis cernens illic dominica lucra, ſuaque detrimenta ſuccreſcere, inuidiam erga Dei famulum habitam celare non paſſus eſt: ſed immiſſo quodam fallaci terrore, eum a finibus illis propellere niſus eſt. Sequenti etenim nocte, dux Pomeraniae in auxilium Timinenſium cum duobus exercitibus, id eſt, nauali et equeſtri ſuperuenit: et equeſtris exercitus prior occurrere debuerat, ſed uentus rapidiſſimo curſu nauium impel-

Ponunt timorem.

Timinenſes occurrunt S. Othoni.

Figit tentoria ante portam.

Vide lib. 3. cap. 3. uitae a Caniſ. edit.

pellens, celerius littori appulit. Equestris uero exercitus postea ueniens, sociamque turmam, quam se tarde secuturam sperabat, illic inueniens, suspicatus est hostilem cuneum se incurrisse, eo quod tetra noctis ingrueret caligo; statimque clamor confusus et tumultus importabilis utrimque exoritur; uniuersus pii praesulis comitatus nimio terrore perculsus, ad fugam semet inuicem cohortantur, affirmante domino *Albino*, interprete uiri Dei, paganorum *Luticensium* adesse cateruam, et iam caede miserabili duces exercitum laniare.

Albinus interpres S. Ottonis.

Doctor uero eximius eundem *Albinum*, religiosum presbyterum, illuc celeriter pro inuestiganda rei ueritate transmisit: qui flumini concitus se iniiciens, eo quod natandi peritus esset, pacata iam omnia reperit, quia exercitus illi ciues se tandem recognouerant, et diabolico errore se praeuentos asserebant.

Gaudium ducis Pomeraniae ob praesentiam S. Ottonis.

Dux autem *Wortizlaus*, de aduentu pii pastoris ultra quam credi potest gratulatus, mandat ei sine mora, in ulteriorem sibi ripam occurrere, dicens: diuini esse miraculi, quod biduo ibi inter tam crebras hostium discursiones illaesus permansit. Et re uera, nisi ualidissima Dei protectione, tanquam scuto inexpugnabili, obumbratus fuisset, eum omni suo comitatu, nullo resistente, interisset.

Mox autem, ut terris dies est redditus, dux cum exercitibus suis rebellium *Luticensium* terras inuadens, cuncta ferro et igne uastat. Ad uesperam uero magna praeda onustus rediens, charissimum sibi patrem OTTONEM debita cum reuerentia *Vznoim* perduxit; ubi opportunam manendi et praedicandi quietem habebat; statimque in festiuitate pentecostes generale principum regni sui colloquium in eodem loco indixit, ubi conuenientibus *Timinensis* ciuitatis aliarumque urbium primoribus, sapienter eos ad suscipiendum christianae fidei iugum prouocabat. Ipse enim in pueritia sua captiuus erat in *Teutonicas* regiones abductus, atque in oppido Merseburgensi baptismi gratiam consecutus: sed, inter paganos uiuens, ritum christianae legis exequi non poterat, ideoque gentem, cui praeerat, fidei iugo subiici, ardenter desiderabat.

Vsdom.

CAPVT V.

Qualiter dux Wortizlaus *suos ad colloquium uocauerit et ad fidem Christi exhortatus sit.*

Oratio ducis ad suos subditos.

CONsidentibus ergo principibus, dux ita exorsus est: *Cernitis, dilectissimi, quomodo pater hic beatissimus, etiam canicie uenerandus, pro salute uestra, omnem gloriam et magnificentiam, quam apud suos habeat, reliquerit et cum periculo capitis sui longinquas sibi ignotasque adit regiones, nec propriis sumptibus, nec canis suis, pro Dei amore, parcens, sed in morte animam suam ponens, ut uos a morte ad uitam reuocaret; arduam difficilemque nimis hanc peregrinationem subire non dubitarit. Antea quidem multi uerbum Dei his partibus annuntiantes uenerunt, quos instinctu satanae occidistis, e quibus etiam nuper unum crucifixistis, sed ossa eius capellani domini mei episcopi, digna reuerentia colligentes, honorifice tradiderunt sepulturae.*

Vsdonenses interfecerunt non nullos euangelii praedicatores.

*Hunc autem reuerendissimum dominum meum episcopum, fama celeberrima ubique uulgatum; non sic tractare debetis, nec potestis, quia * missus est papae et dilectus domini nostri* LOTHARII *regis inuictissimi. Nam et ipse Romani imperii princeps, et cuncti primates, loco patris eum uenerantes, consiliis eius per omnia obedire satagunt. Vnde sciatis procul dubio; quia, si quidquam molestiae aut controuersiae ei a uobis irrogari dominus rex audierit, sine mora cum exercitu superueniens, usque ad internecionem delebit uos et terram uestram. Non est meum, ad hanc uos religionem cogere, quia, ut ex ore domini mei episcopi audiui, non uult Deus coacta seruitia, sed uoluntaria. Quapropter unanimi consilio inter uos secreto conuenientes, salutis uestrae causam agite, et quali deuotioue hunc reuerendissimum Dei seruum uestrumque apostolum suscipiatis, in commune decernite.*

Legatus Quis et quantus Otto episcopus.

His auditis, principes et natu maiores, opportunum huic colloquio locum petentes, diu multumque ancipiti sententia nutabundi oberrabant, praecipue sacerdotibus idolorum, quaestus sui gratia, contradicentibus: sed pars sanioris consilii affirmabat, infinitae nimis esse insipientiae, cum omnes circumiacentium nationum prouinciae totusque Romanus orbis christianae fidei iugum subierit, se uelut abortiuos, gremio sanctae matris ecclesiae abalienari, meritoque diligendum christianorum populum, qui per tot annorum curricula eos sibi rebelles pertulerit, patienter exspectans conuersionem eorum; nimisque uerendum, si amplius iugum eius detrectauerint, caelestis irae importabilem sese uindictam incurrere.

Audita oratione ducis deliberant, quid facto opus.

Tandem diuina praeueniente clementia, unanimiter cultum idolorum abdicarunt et, fidei iugo colla submittentes, baptismi gratiam flagitare coeperunt. Quo audito, pastor piissimus flens prae gaudio, positisque genibus, intimas Deo gratiarum actiones exsoluit.

Idololatriam deserunt.

CAPVT VI.

Quomodo Vdalricus *presbyter*, *et* Albinus *interpres* * Hologoſt *ciuitatem adierunt, et de periculo euaſo.*

* Wolgaſt.

Ebbo. Vita a Caniſedit. lib. 3. c. 5.

MOx igitur in eadem ciuitate baptizatis principibus uniuerſis, binos et binos e presbyteris ſibi adhaerentibus, ad alias urbes, ante faciem ſuam, praemiſit, ut populo conuerſionem principum ſuumque aduentum denunciarent, quorum duo, id eſt, *Vdalricus*, religioſus presbyter S. Aegidii, et ſupra dictus *Albinus*, interpres uiri Dei, opulentiſſimam ciuitatem *Hologoſt* dictam, adierunt, ubi a matrefamilias, uxore ſcilicet praefecti urbis, honorifice ſuſcepti ſunt, ita ut pedes eorum ſumma humilitatis deuotione lauaret; ſtatimque, menſa appoſita, copioſiſſimis eos dapibus reficeret, mirantibus eis et admodum ſtupentibus, quod talem in regno diaboli humilitatis et hoſpitalitatis gratiam meruiſſent.

Quam humaniter Wolgaſti excepti ſuerint.

Tandem finita refectione, dominus *Albinus* matremfamilias ſecretius alloquens, indicauit ei cauſam aduentus ſui, et qualiter ad colloquium * *Vznoim* habitum cuncti principes, abdicatis idololatriae ſordibus, Chriſti gratiam induerint. Haec illa audiens, adeo expauit, ut terra procumbens diu ſemianimis remanſerit, quam in aqua refocillatam dominus *Albinus* requirere coepit; cur Dei gratiam adeo exhorruiſſet; cum magis laetari debuerit, quod Deus uiſitauit plebem ſuam, mittendo ei tam idoneum uerbi miniſtrum. At illa, non pro hoc, ait, obſtupui, ſed magis pro nece ueſtra, iam iamque imminente, contremuit cor meum. Nam magiſtratus ciuitatis huius cum omni plebe propoſitum habet, ut ubicunque apparueritis, ſine retractatione occidamini: et haec domus mea ſemper quieta et pacifica omnibus peregrinis ſuperuenientibus hoſpitalis fuit; nunc uero ſanguine ueſtro contaminanda erit re uera. Nam ſi aliquis magiſtratuum introitum ueſtrum hunc deprehendit, hac hora domus mea obſidione uallabitur; et ego infelix, niſi uos tradidero, igni, cum omnibus meis, concremabor.

* Vſdom. Albanus cauſſam aduentus pandit.

Mulier prae panore corruit.

Cauſſa huius rei.

Iam decretum fuerat, ut trucidarentur.

Aſcendite ergo in ſuperiora domus meae, ibique latitate. Ego miniſtros meos cum exuuiis ueſtris atque caballis ad remotiores uillas meas dirigam, ut, ſi uenerint inquiſitores, libere uos excuſare poſſim, cum nec indumenta ueſtra, nec caballi apud me deprehendantur. Illi uero piae eius prouiſioni gratias agentes, fecerunt ut docti erant: ſtatimque miniſtris caballos eorum et ueſtes abducentibus, poſt modicum plebs furibunda irrupit, omniaque ſcrutantes, peregrinos illic ingreſſos uiolenter ad mortem expetebant. Quibus materfamilias, fateor, ait, domum meam ingreſſi ſunt, et ſufficienter refecti uelocius abierunt; et ego, qui uel unde eſſent, aut quo tenderent, explorare non potui. Sequimini autem, et forſan comprehenditis eos. Illi uero, ſi, inquiunt, abierunt, uanum eſt, eos inſequi: ſed uiam ſuam pergant; et ſi denuo hic apparuerint, morti ſe procul dubio inuoluendos ſciant. Et ſic inquiſitio eorum, Dei nutu, caſſata eſt: ſeruique Dei, *Vdalricus* et *Albinus*, in ſolario matronae illius, uelut alterius *Raab*, abſconditi latuerunt.

Abſconduntur in aedibus faeminae.

Plebs furens impetum facit in aedes.

Quae eluſa recedit.

CAPVT VII.

De periculo clericorum in eadem ciuitate et de uno ad templum fugiente.

CAuſa autem huius inquiſitionis et tumultus ſacerdos quidam idolorum fuit, qui, audita nouae praedicationis opinione, ad callida argumenta conuerſus, *cuiusdam fani chlamyde* et reliquis indutus exuuiis, urbem clam ingreditur, uicinamque petens ſyluam, praetereuntem quendam ruſticum inſolito occurſu perterruit. Qui uidens, eum *ueſtibus idoli* amictum, ſuſpicatus, Deum ſuum principalem ſibi apparuiſſe, prae ſtupore exanimis in faciem corruit, eumque talia dicentem audiuit: *Ego ſum Deus tuus, quem colis, ne paueas, ſed ſurge quantocyus, urbemque ingrediens legationem meam magiſtratibus omnique populo inſinua, ut, ſi diſcipuli ſeductoris illius, qui cum duce Wortizlao apud Vznoym moratur, illis apparuerint, ſine dilatione morti acerbiſſimae tradantur, alioquin ciuitas cum habitatoribus ſuis peribit.* Quod cum ruſticus ille ſumma feſtinatione ciuibus denunciaſſet, illi unanimiter adunati mandatum Dei ſui peragere conabantur. Sed, ut praediximus, diuina prouidentia ſeruos ſuos abſcondit, donec ſequenti die pius *Otto* epiſcopus, cum duce ſuperueniens, eos a latibulis produxit. Sed nec in ipſa die aduentus epiſcopi tentatio, per inuidiam diaboli ſeruis Dei immiſſa, defuit; adueſperaſcente namque die, quidam ex comitibus domini epiſcopi, fanum in eadem urbe ſitum conſiderare uolentes, minus caute pergebant: quod cernentes aliqui de ciuibus, ſuſpicati ſunt, fanum ipſum igni eos tradere uelle, et congregati horriſono armorum ſtrepitu eis occurrere geſtiebant. Tum reli-

Sacerdotis pagani fraus.

tumultus cauſa

religiosus presbyter *Vdalricus*, ad sociosA conuersus, ait: *non sine causa congregantur isti, sed sciatis, eos reuera ad interitum nostrum festinare.* Quo audito, socii retrogradum iter secuti, fugae praesidia petunt. Clericus autem, *Dietricus* nomine, qui iam praecedens eos, portis delubri ipsius appropinquauerat, nesciens quo diuerteret, audacter fanum ipsum irrupit et, uidens *aureum clypeum* parieti affixum, *Gerouito*, qui Deus militiae eorum fuit, consecratum, quem contingere apud eos illicitum erat, arrepto eodem clypeo, obuiam eis processit; illi autem, utpote uiri stulti rusticitatis, suspicati Deum suum *Gerouitum* sibi occurrere, obstupefacti abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. *Dietricus* autem uidens amentiam eorum, proiecto clypeo aufugit, benedicens Deum, qui de manibus eorum liberare C dignatus est fideles suos.

Dietrici cleric, stratagema.

Iericulo liberat fideles.

CAPVT VIII.

De operibus eius in Chozegowa.

APostolus itaque Pomeranorum totam instantem ebdomadam in eadem ciuitate uerbum Dei disseminans, baptismi gratiam tradens, *Iohannem* religiosum presbyterum eis praefecit, sicque aliam urbem *Chozegowam* expetiit, in qua magni decoris et miri artificii fana erant, quae ciues eiusdem loci trecentis exstruxerant *talentis*. Sed et beato patri nostro maximam pecuniae quantitatem offerebant, ne ea deleret, sed pro ornatu loci integra et inconuulsa reseruaret. Quod uir domini peni- E tus abdicauit, *seque nullo pacto sacrilegas aedes reseruare* affirmabat, dicens, *post discessum suum materiam apostasiae causamque ruinae infirmis exinde generari, seque huius delicti reatu nolle apud Deum obligari.* Magnam uero praedicationi suae auctoritatem dabat, quia cum dominus ordinasset his, *qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere*, ipse iuxta apo- F stolum *non est usus hac potestate*, quin immo propriis se comitesque suos transigebat sumptibus, quos statuto tempore, ex uillis episcopii, per fideles nuntios sibi deferri, paterna prouisione sollerter disposuerat; omnem derogandi occasionem inuidis aufferre satagens, ne forte reputarent, eum causa inopiae tam remotas adisse regiones, quasi in terra G sua ingruente rerum uictualium penuria, in haec *opulentissima regna* secedens, sub praetextu euangelizandi, uitae sustentacula argumentose requireret. Quod prudenter animaduertens uir sagacissimi ingenii, nunquam ab eis, quibus spiritualia seminabat, carnalia mere uolebat, sed nec loco muneris quicquam ab eis percipere consensit; si uero a primoribus, sibi fidelissima familiaritate adhaerentibus, quicquam uoluntarie offerretur et, ut id susciperet, multa precum instantia constringeretur, ipse de suis pretiosa quaelibet eis honorabiliter offerens, maiora dabat, quam accepisset, exemplo *Salomonis*, qui reginae *Sabba*, diuersas munerum species offerenti, multo plura dedit, quam ab ea B consecutus fuisset. Vnde etiam pater hic beatus libentissime ab omnibus audiebatur, quia cernebant, eum, tantis redundantem mundialium rerum copiis, pro sola Christi dilectione, non lucri alicuius gratia, officium praedicationis arripuisse.

S. Othonis continentia.

et munificentia.

CAPVT IX.

De legatis suis et marchionis Adalberti de Saxonia.

EO igitur tempore, quo fana haec mirandi operis in urbe *Chozegowa* destruebat, legati honorabiles marchionis *Adalberti*, statum eius curiosius inuestigantes, sed et nuntii de uillis suis *Mücheln et Scidingen*, iuxta condictum oportuna ei subsidia deferentes, superuenere et uidentes, gratiam Dei ecclesiamque illic crescere et confortari, gaudio magno et consolatione sancti Spiritus replebantur. Et reuera iucundum erat spectaculum, cum simulacra mirae magnitudinis, et sculptoria arte incredibili pulchritudine caelata, quae multa boum paria uix mouere poterant, abscis- E sis manibus et pedibus, effossis oculis, ac truncatis naribus, per descensum cuiusdam pontis igni cremanda trahebantur, adstantibus idolorum fautoribus, et magno eiulatu, ut diis suis succurreretur, ac iniqui patriae subuersores per pontem demergerentur, acclamantibus: aliis uero sanioris consilii e contra protestantibus: quia, si dii essent, semetipsos F defendere possent; sed cum ipsi taceant, nec de loco, nec tracti moueantur, omni sensu ac uitali spiritu penitus carere probentur.

Adalberti marchionis legatorum laetitia.

Ebbo.

Ingens magnitudo idolorum.

Cremantur idola.

Sacerdotes uero idolorum seditionem conflare moliebantur, quaestus sui gratia. Nam, ut in Daniele propheta legimus, quotidie fercula et pocula diuersi generis, copioso apparatu, simulacris illis, uasta mole prominentibus, exhibebantur, quae omnia sacerdotes cum amicis suis, clanculo ingressi, absumebant.

Dan. 14.

Sed non praetereundum uidetur, quid miraculi in destructione fanorum ipsorum apparuerit. Subito enim, adstante populi frequentia, insolitae magni-

Muscae niuquam antea uisae ex fanis euolant.

gnitudinis muſcae, quae nunquam in terra illa uiſae ſunt, magno impetu ex delubris idolorum proruperunt, et tanta denſitate omnem ciuitatis ambitum operiebant, ut paene lucem diei tetra caligine obducere uiderentur: ſed et oculos et labra uniuerſorum nimia importunitate uexantes, non paruum horrorem adſpicientibus ingerebant. Sed cum uiolentis manuum percuſſionibus abigerentur, nihilominus tamen diu- *Fugantur circumlato crucis uexillo.* tius inſiſtebant: donec fidelibus laudes Dei concrepantibns, crucisque uexillum circumferentibus, inuiſum monſtrum portis apertis euolans, terram barbarorum, qui *Rutheni* dicuntur, pernici uelocitate petiit. Vnde cunctorum ſapientum iudicio definitum eſt, non aliud hoc portenti genus, niſi daemonum expulſionem, praeſagire, qui chriſtianiſmi coruſcantem per nouos doctores gratiam non ferentes, negata ſibi in his regionibus manſione, Ruthenos, pagano adhuc errore irretitos, adiere.

CAPVT X.

De dedicatione eccleſiae, ad quam plures conuocauit, ac magnalia quae egit.

Edit, Laſchian. Plus itaque praedicator, deſtructis idolorum fanis et populo ſacrae regenerationis lauacro in ſinum matris eccleſiae congregato, nouam Chriſto aedificare coepit *baſilicam*. Ad cuius dedicationem cum loci eiusdem *Mizlaus princeps* princeps, *Mizlaus* nomine, ueniſſet, qui dudum cum aliis primoribus ad curiale colloquium, in pentecoſte *Vznoym* habitum, baptiſmatis gratiam perceperat: his eum beatus pontifex uerbis, per in- *monitione S. Ottonis* terpretem ſuum *Adelbertum, poſtea epiſcopum*, allocutus eſt: *Fili cariſſime, quem ego Chriſto domino per euangelium genui, dedicatio haec exterior interiorem tui cordis dedicationem futuram ſignificat. Tu enim es templum Dei, ubi Chriſtus per fidem inhabitare dignatur et, ſi domum cordis tui ſic ornare uolueris, ut Deo, qui inſpector eius eſt, manſio illa placeat, cum gaudio ſpirituali hanc exteriorem perage- compunctus, re potero dedicationem.* Qui compunctus his beati patris et apoſtoli ſui uerbis, flebili uoce reſpondit; *Quid me, pater ſancte, uis agere, ut Deus domum pectoris mei uiſitare dignetur?* At ille, *hoc eſt*, ait, *quod moneo, ut ſecreta conſcientiae tuae ſcruteris et, ſi cui aliquid per uiolentiam rapuiſti, digne reſtituas, ſi quos cauſa pecuniae captiuaſti, pro honore Dei abſoluas.* Tunc ille, *nemini*, inquit, *uiolentiam exhibui, ſed captiuos multos penes me habeo, grauiter mihi obnoxios.* Cui uir domini inquit, *require, ſi qui inter eos ſint chriſtiani.* Et cum requiſiſſet, inuenit plures ex *Danorum* regione chriſtianos, quos ſtatim beato patri *captiuos dimittit chriſtianos.* noſtro, omni debito abſolutos, obtulit. Ad quod ſeruus Dei gratulatus, *quia*, ait, *coepiſti, perfice gratum domino ſacrificium, ut paganos etiam captiuitate de- ei paganos preſſos, quo facilius iugo fidei colla ſubmittant, abſoluas.* Et ille, *multorum*, inquit, *criminum rei ſunt iſti, et damna mihi non ferenda intulerunt, ſed ne dedicationis huius gaudia quolibet moerore obnubilentur, iuxta uerbum tuum, pater amantiſſime, abſoluantur.* His auditis doctor piiſſimus cum lacrymis gratias agens, *nunc*, ait, *acceptabilis erit Deo haec dedicatio, quia hoſpitium cordis tui hoc pietatis opere ad inhabitandum domino dedicaſti.* Et haec dicens ſolemnia dedicationis eccleſiae exorſus eſt. Nutu *Dedicationis eccleſiae impedimentum,* autem Dei ex improuiſo cineres defuerunt et, iurantibus miniſtris, pridem ſe eos in circuitu altaris collocaſſe, mirum in modum nec ſignum excuſſionis uſpiam inueniri potuit. Tunc religioſus presbyter *Vdalricus*, ſpiritu Dei actus, ad ſubterraneum quoddam habitaculum, pro cineribus colligendis, uelocius abiit. Cuius introitu audito, captiuus illic latitans uocem cum gemitu emiſit, manum de cauea protraxit. Obſtupefactus ſeruus Dei *Vdalricus* acceſſit uidere, quidnam hoc eſſet, uiditque iuuenem mirabiliter collo, pectore ac pedibus ferro incluſum. Et accerſito interprete haec ab eo audiuit: *ſerue Dei, miſere mei et mitte manum tuam, ut ex principis Danici detentione ortum, educas me de grauiſſimo huius captiuitatis iugo, etenim ſum filius nobiliſſimi Danorum principis, et dux* Mizlaus, *pro quingentis marcis, a patre meo ſibi dandis, hic me incluſum, retinet.* Quo audito *Vdalricus* concito gradu ad epiſcopum rediit, et ſecreto eum conueniens, *non ſine cauſa*, inquit, *hoc impedimentum dedicationi noſtrae accidit; quia nutu Dei ego in recluſione grauiſſima filium principis Danorum inueni, dum pro cineribus colligendis abiſſem, et non poterit dedicatio rata eſſe, niſi cum reliquis abſoluatur.* Cui epiſcopus, *iam*, ait, *tanta praeſtitit nobis, quod non praeſumo eum amplius interpellare, quoniam reuera nec in Teutonicis regionibus quisquam principum hoc facile ageret; ſed ſi uultis, ſecreto eum per uos conuenite, et forſitan acquieſcet uobis, licet graue ſit negotium.* Vdalricus itaque, aſſumpto interprete ſuo *Adalberto*, de turba eduxit *Mizlaum* principem, et primum *pacis Chriſti uerbo* ſalutans requirit, *ſi omnes captiui eius relaxati eſſent?* Quo dicente, *etiam*, Adalbertus interpres, *cur fallere conaris Chriſtum, qui falli non poteſt? Cur apoſtolum eius negando et diſſimulando contriſtas?*

Ecce

Ecce impedimentum dedicationi huic tua dissimulatione fecisti. Siquidem cineres hesterna die hic repositi nutu diuino hodie disparuerunt et, dum carissimus domini mei capellanus Vdalricus, *non casu, sed Deo sic disponente, ad requirendos cineres abisset, inuenit captiuum tuum, quem Deo, cui omnia patent, occultare uoluisti.* His auditis obstupefactus princeps, *hic*, ait, *captiuus singulariter mihi prae omnibus aliis obnoxius est, ideoque suppliciter peto, ne causa eius manifestetur, sed magis in subterraneo habitaculo, ut dignus est, reseruetur.* Cui seruus Dei *Vdalricus, absit*, inquit, *ut tanta pietatis opera, quae Deo exhibuisti, ita, ut ipsi etiam domino meo episcopo admirationi sis et honori, hac una crudelitate pereant, sed reuera scias, quia sacratissimae dedicationis huius gaudia nullatenus consummari poterunt, nisi et hunc cum ceteris absoluens gratum domino sacrificium obtuleris.* Et ille, *quid ergo fiet*, ait, *de quingentis argenti talentis, a patre ipsius pro incomparabili damno mihi illato exsoluendis?* Ad quod famulus Dei, *non*, inquit, *tanta super hoc affligaris molestia; habet dominus, unde tibi in centuplum haec restituat.* Tunc demum *Mizlaus* princeps, Dei praeueniente gratia compunctus, totus lacrymis est perfusus et graui suspirio frendens in semetipso, *dominum*, ait, *testem inuoco, quod etsi corpus meum pro martyrio consecrarem, non amplius quid nec animo meo grauius agere possem, quam quod hunc tanto mihi obnoxium debito, quem nullo pacto relaxari decreueram, nunc animo meo uiolenter reluctans, pro honore Dei omnipotentis et amore domini mei episcopi, absoluo.* Statimque missis militibus suis de ergastulo tenebroso eum produxit, et sic catenis undique adstrictum manibus suis altari consecrando superponens, holocaustum in odorem suauitatis obtulit domino, et mox uincula eius solui mandauit, cunctis qui aderant prae gaudio flentibus, Deumque pro tanta eius deuotione benedicentibus. Tunc demum uenerabilis pontifex Christi solemnia dedicationis ecclesiae laetiori, quam coeperat, et diligentiori executione adimpleuit.

eiusdem liberatione sublatum.

CAPVT XI.

De duce Poloniorum, qualiter Pomeranis bellum indixit, sed per beatum Ottonem mitigatus bello renunciauit.

Edit. Iaschian. SEd haec gaudia antiquus nostri generis inimicus non aequis aspiciens oculis, utpote cui innumera captiuitatis uasa illic per beatum praesulem erant erepta; omnibus modis haec laeta christianae sationis semina, zizaniis seditionum et externorum incursu bellorum, turbare molitus est. *Dux* enim *Poloniorum*, nomine *Polizlaus*, ante aduentum patris nostri Ottonis grauiter a gente Pomeranorum offensus, expeditionem suam illo cum manu ualida indixit. Quo nuntio gens illa, nouiter fidei sacramentis initiata, non mediocriter est perterrita et primates natuque maiores unanimiter ad apostolum suum, uelut tutissimum confugientes asylum, eius magnopere flagitabant consilium, dicentes: *tu, domine pater, nobis, christianae fidei iugum subeuntibus, libertatem firmissimamque pacem in uerbo Dei promisisti, et ecce fratres nostri Polonienses, inter ipsa fidei primordia, rupto pacis foedere, bellum nobis indicunt populumque, nuper baptismi lauacro mundatum, humani sanguinis effusione iterum polluere conantur; sed absit, ut, te praesente, ecclesia Christi hic collecta dispergatur, cum pax in ingressu tuo in istam intrauerit prouinciam.* Quibus auditis pater piissimus, lacrymas ab oculis distillans, *nolite*, ait, *timere, potens est Deus meus, cui credidistis ad introitum humilitatis meae, causas belli huius praecidere pacemque desideratam nouo ouili suo restituere. En ego ipse animam pro uobis morti dare paratus sum, uos tantum religioni, quam didicistis, operam date. Ego cum comitibus meis ducem Poloniorum adeam eumque ab intentione bellandi, Deo auxiliante, auertam.* At illi, pedibus eius prouoluti, debitas gratiarum actiones exsoluebant et confestim, dispositis uiae sociis, *Vdalricum*, religiosum presbyterum, uice sua ad confirmandam neophytam plebem *Vznoym* reliquit, ipse uero ad ducem Poloniorum impigre, ut condixerat, ire coepit. Cuius aduentu dux comperto, celerius ei debita cum reuerentia occurrit, omnique humanitatis officio, ut par erat, fouere non desiit; nam antea etiam familiariter eum notum habebat; agnitis uero causis itineris, admodum obstupuit dicens, *gentem illam beluinae ferocitatis immanitate terram populumque suum deuastasse, adeo ut etiam parentes suos e sepulchris protraheret, et collisis capitibus dentes excuteret, ossaque eorum per publicum aggerem dispergeret; mirumque esse, quod ipse uiuus discerptus non fuisset ab eis, cum omnes anteriori tempore Christum illic annunciantes mortis sententiam incurrissent, sed unus eorum crucis patibulo nuper affixus occubuisset.* At ille, *Dei protectione et Romani principis respectu, ac defensione* Wortizlai *ducis se munitum* protestatus, *gratia Christi gentem illam*, aiebat, *initiatam, seque ad hoc uenisse, ut incursionem bellorum ab ea,*

Pomerani a Polizlao *duce Poloniorum bello affecti.*

s. Ottoni supplicantes

huius interpellatione

quae pacem Dei receperat, amoueret, ne A *nouus grex inter ipsa fidei primordia turbatus a recto tramite exorbitaret.* Dux autem Polizlaus respondit, *non ex facili sibi constare, ut expeditionem illam tanto tempore propositam intermitteret, sed pro nihilo se deinceps ab omni populo suo habendum, si Pomeranorum ducem, tam grauiter sibi obnoxium, debita talione non repercuteret, seque Deo gratias agere, quod seruus Dei ab eis secessisset, quia eo praesente, bello infensam sibi gentem obpetere nequiret.* Cui episcopus, *etsi ego*, ait, *recessi, sed* Vdalricus *dilectissimus capellanus meus ibi remansit, quem pro confirmanda et consolanda plebe neophyta illic reliqui, et non minori pro eo, quam pro memetipso angor solicitudine. Noueris ergo fili karissime, quia si nouam Christi sponsam, hoc impetu belli quassatam, fidei iugo abalienaueris, in tremendo examine rationem Deo positurus eris, sed et ego pro ouibus mihi creditis mortem excipere paratus sum.* Ad haec ille, *si*, inquit, *humiliatus Pomeranorum dux per semetipsum mihi occurrere et ueniam deprecari uoluerit, faciam secundum uerbum tuum, testorque Deum coeli, quod nec domino meo regi Lothario in tam grandi negotio annuerem; sed nunc honoraui faciem tuam et reuerendam canitiem, quam pro amore Dei in tam* D *remotas barbarorum regiones fatigare non dubitasti.* Mox ergo legati honorabiles, *Wortizlaum* ducem et *Vdalricum* capellanum accersentes, diriguntur, data eis prius firmissimae pacis desiderata securitate. Qui trium dierum itinere confecto, Poloniam uenerunt et honorifice cum suo comitatu suscepti, causam, pro qua uenerant, tractare cœparunt, sed per E duos dies interminatam reliquerunt, tertia tandem die, domino opitulante et pio Ottone mediante, reconciliati pacis oscula libant et, abdicata bellandi intentione, foedus intemeratae dilectionis ambo duces coram primatum et nobilium frequentia pepigerunt. Ipse quoque dux Pomeranorum in testimonium deuotionis suae magnam pecu- F niae quantitatem super altari beati *Adalberti* martyris, *canonicorum illic Deo seruientium usibus* profuturam, obtulit multumque se orationibus eorum commendans, itinere, quo uenerat, cum pio *Ottone* uniuersoque comitatu, *Vznoym* reuersus est. Plebs ergo Christi, nuper legibus dicata, pro concessa a Deo pacis securitate, cum lacrymis gratias agens, G inuicem sese ad conseruandam rectae fidei traditionem cohortabatur, piusque praedicator ad circumpositas ciuitates *uerbi ministros*, sicut et antea, peruigili solicitudine dirigebat.

duci reconciliantur.

CAPVT XII.

De Vdalrico sacerdote, misso per sanctum Ottonem, pro conuersione Veranorum et de periculo eiusdem.

ERant autem trans mare barbari, crudelitate et saeuitia singulares, qui *Verani* dicebantur. Hi audita praesulis beati opinione, crebris legationibus ei mandauerant, *quod, si un-* B *quam terras eorum intrare praesumeret, sine mora cum omnibus suis morti acerbissimae se tradendum sciret.* Cumque uir Dei feruens in spiritu minas eorum postponeret, saepiusque illo tendere disponeret, ab omnibus uitam eius desiderantibus inhibebatur; aegre tamen ferebat, quod nullus ex omnibus suis opus aggredi uolebat. Quod sentiens *Vdalricus*, religiosus sancti *Egidii* sacer- C dos, incunctanter se huic discrimini obtulit: cui pius Otto admodum gratulatus licentiam et uiae comites statim concessit. *Adalbertus* autem, uiri Dei interpres, tunc non aderat, sed postea haec addiscens, dominum episcopum omnino ab hac intentione conabatur auertere, lacrimosis singultibus hoc modo compellans: *O sancte pater, quid agis? cur dilectissimum cooperatorem tuum* D *morti destinare non metuis? scias reuera, quod ab omnibus nobis ut reus mortis eius iniunio addiceris.* Seruus autem Dei subridens, *nonne*, ait, *ipse dominus IEsus Christus discipulos suos quasi oues in medio luporum misit, et magister totius ecclesiae, princeps apostolorum multos e suis ad subigendam barbarorum rabiem destinauit? Sed et sanctus* Clemens *papa Dionysium Areopagitam in Gallias, aliique pontifices Romani dilectissimos suos euangelizandi gratia paganis direxerunt, qui ab eis iugulati occubuerunt, nec tamen magistri eorum mortis reos se adiuaicabant, quinimo gloriae passionis ipsorum alacri deuotione adgaudebant. Testis est mihi Deus, quod pro amore eius ipse ego hanc* F *periculosam praedicationis angariam subire paratus essem, sed, quia aditum egrediendi uiolenter mihi obstruitis, hunc athletam Christi, proficisci cupientem, non auersor.* Nocte igitur insecuta, *Vdalricus* per soporem uidit, se in atrio ecclesiae *S. Aegidii* quasi ad profectionem quandam pertingere, et cum iam portam egredi conaretur, ancillae Christi *Berthrada et Wendelhmut*, cum reliquis per G uestimenti fimbrias eum magno cum gemitu retrahebant nec ullo modo portam exire sinebant. Quod cum expergefactus *Adalberto* interpreti retulisset, ille *manifestam*, respondit, *esse uisionem;*

Edit. Laschina.

Vdalricus sacerdos a proposito conuertendi Veranos

nec Alberti precibus dimouetur

nec uisione deterretur

nec

nec aliud praesagare, quam quod sponsae Christi, quibus in Babenbergensi loco praeerat, assiduis apud Deum precibus obtinuisset, ne Veranos, ubi certa mors ei imminebat, expeteret, sed potius alumnas suas uita comite cum gaudio reuiseret. Seruus autem Dei *Vdalricus* nullo modo ob id a bono proposito reuocari consensit, sed mane facto, pio Ottoni puram agens confessionem, arduum huius praedicationis iter, in remissionem peccatorum suorum, alacri deuotione suscepit, moxque naui, cum comitibus suis et interprete quodam Poloniense religioso uiro, impositus, cunctis ei prospera imprecantibus, Dei uiri benedictione munito, nauigium est aggressus. Tum uero magna caeli serenitas et maris tranquillitas arridebat; sed ubi longius a littore est remotus, subito fluctibus, uento ualidissimo concitatis, tempestas non modica ingruere coepit, quae sine mora arreptam nauem littori, quod reliquerat, appulit seruumque Christi *Vdalricum* loco suo restituit. Quae nimirum tempestas septem diebus continuis mari imminens, omnem profectionis huius cassauit intentionem.

propter maris tamen inclementiam consilium mutare compellitur,

CAPVT XIII.

Qualiter pontifices idolorum in mortem sancti Ottonis populum excitauerunt.

ex Iaschio.

APostolus autem Pomeranorum, uoluntatem Dei prudenter in hoc considerans, nec *Veranos* uerbo salutis dignos iudicans, ad *Stetinenses*, qui a fide, ut supra diximus, apostatauerant, iter suum direxit, licet multi fideles Christi et familiares sui eum ab hoc proposito reuocarent. Nam pontifices idolorum plebem apostatam in necem eius unanimiter concitauerant; sed ipse martyrii ardore flagrans nullumque suorum opus hoc aggredi praesumere cernens, quodam die, secreto collectis pontificalibus exuuiis cossoque impositis, solus eo tendere coepit et nauim ibi fortuito praetereuntem aspiciens, naulo dato eam quantocyus ingredi accelerabat. Quod *Vdalricus* Dei nutu animaduertens sociis confestim indicauit. Illi pernici cursu eum insequuntur, primusque *Adalbertus* interpres eum comprehendens, inuitum ac renitentem domum redire compulit. Qui altius ingemiscens seque deprehensum acriter dolens, paucos tandem e suis periculosae huius uiae socios habere meruit, qui nimium eius seruorem considerantes, nefas censebant, eum reuocare aut in comitatu relinquere. Nauem ergo ingressi, cum ciuitati *Stetinensi* appropinquassent, speculatores eos agnoscentes et considerantes ingenti strepitu ciuibus, *antiquum erroris magistrum superuenire*, acclamabant, *cui cum gladiis et fustibus occurrere et ad iniuriam Deorum uindicandam indigne tractare expediret.* Quod famulus Dei cum per interpretem agnouisset, intrepidus ac calore fidei armatus crucis uexillum erexit, pontificalibus sese indumentis praeparauit, eisque obuiam ire deliberauit, primoque ecclesiam principis apostolorum, quam

Stetinenses ad gentilismum relapsi

legatos Dei adoriuntur.

Reliqua de fine capitis decimi quinti et initio capitis decimi sexti desiderantur, quae uno folio, quod in codice laceratum erat, scripta fuerunt. Vide quae in notis addidi.

Sequitur ergo capituli decimi sexti pars posterior.*

** edit. Iaschiae.*

Fidem Christi abdicatis Idololatriae sordibus receperunt, primusque *Wirtschachus*, nobilissimus eorum, ad seruum Dei ingressus, hanc *pro omnibus* dedit rationem: *ego, pater honorande, cum primatibo, hunc locum regentibus, Deo inspirante, pari uoto in hoc conuenimus, ut sacrilegos istos sacerdotes, omnium malorum incentores, longe a terminis nostris eliminemus, teque ducem et praeceptorem in uiam salutis aeternae auida mente sequamur.* Et conuersus ad eum, qui prius fuerat locutus, sacerdotem ait: *O miser et miserabilis, quid mihi dii tui profuerunt, cum in arctissima compeditus custodia mortis sententiam iam iamque praestolarer, sociis meis pridem crudeliter strangulatis, ubi uisibiliter dominum et patrem meum Ottonem a uinculis me absoluere et desiderantem libertati reddere aspexi? Nonne melius est mihi Deo uiuo et uero liberatori meo seruire, quam lignis et lapidibus uita sensuque carentibus? Tu ergo cum tuis perge, quo uolueris, et caue, ne amplius in finibus nostris compareas, quia, domino nostro IEsu Christo regnante super nos, non est tibi et simulacris tuis locus in his regionibus.* Quo audito cuncti sacerdotes idolorum sine mora surgentes pernici fuga elapsi sunt, ita ut nullus eorum deinceps ibi comparuerit. Antistes autem domini super hoc intimas Deo gratias exsoluens, confestim delubra idolorum cum suis destruere coepit.

Sacerdotum idololatricorum fuga.

CAPVT XIV.

De duobus Rumbonibus *mirae magnitudinis captis et sancto Ottoni per piscatores allatis.*

DEinde eos, qui a fide apostatauerant, *benedictione sacrati fontis* et *manuum impositione* purificans, *uiuificae crucis uexillo* et *orationis uirtute*

Stetinenses apostatae ecclesiae reduniti.

te katholicae matri cum gaudio recon-A ciliauit, aliis uero baptismi gratiam et fidei sacramenta contradidit. Sed, ut scriptum est, *inquirentes dominum non deficient omni bono;* praedicatori ueritatis in opere Dei laboranti solitae benignitatis munificentiam dominus exhibere dignatus est. Piscatores enim Stetinensium autumpnali tempore, quo haec christianae militiae rudimenta agebantur, ad fluuium *Oderam* progressi, B duos insolitae magnitudinis *rombones* apprehendunt, quorum occursus non nisi uerno tempore esse solet. Obstupefacti illi nouam hanc capturam, nouis praedicatoribus caelitus prouisam, inter se conferunt, moxque apostolo suo cum hoc iucundo munere occurrentes, aiebant: *nunquam in illis partibus rombones autumpnali tempore uisos, sed caelesti prodigio ad introitum eius largam hanc benedictionis suae copiam dominum declarasse.* C Erant autem rombones tantae uastitatis ac longitudinis, ut seruo Dei cum uniuerso comitatu suo per quatuordecim dies sufficientem praeberent alimoniam, ita ut nobilibus etiam quibusque ex eadem copia reliquiae honorabiliter partirentur. Ex hoc uero populus in fide magis ac magis corroborabatur, cum tantam in apostolo suo D gratiam tam in temporalium quam et in spiritualium exuberantia profectuum miraretur. Erat autem fanum quoddam longius remotum, ad quod deiiciendum fidelem et familiarissimum sibi *Vdalricum* sacerdotem religiosum direxerat.

Alimonia S. Otboni caelitus prouisa.

CAPVT XV.

De incisione nuceae arboris et periculo episcopi.

S. *Otho nucem idololatricam succisurus,*

SEd pauci qui remanserant, fautores idolorum de muro prospicientes, eum illo tendere, iactu lapidum et lignorum, caput eius conterere moliebantur; qui tamen, Deo protegente, illaesus euasit reuersusque ad pium patrem Ottonem, insidias eorum retexuit. Vir domini statim elato crucis uexillo ac pontificali redimitus infula semetipsum huic periculo ingerere non dubitauit, cuius praesentiam barbari non ferentes hac illacque dispersi fugae latibula quaesiere. Destructo igitur fano, cum uir Dei reuerteretur, *arborem nuceam* praegrandem idolo consecratam, G cum fonte, qui subterfluebat, inuenit, quam statim succidere suis imperauit. Accedentes uero Stetinenses supplici-ter rogabant, *ne succideretur, quia pauperculus ille custos arboris ex fructu eius uitam alebat inopem, se autem,* iure iurando affirmabant, *sacrificia, quae illic daemoniis exhibebantur, generali edicto perpetualiter inhibere.* Quorum petitioni doctor piissimus, *dictante aequitatis ratione,* nauiter aunuit. Dum uero mutuis haec conferunt sermonibus, ecce barbarus ille custos arboris ex improuiso accurrit, seruoque Dei post tergum clam assistens eius sanctum uerticem *frantisca,* annisu forti, appetiit, sed Dei nutu frustrato ictu, ponti firmo tabulatu strato, cui tum forte superstabat, frantiscam tam ualide infixit, ut difficultate extrahendi moram percussori faceret.

Gratitudo monachorum S. Michaelis erga S. Ottonem.

CAPVT XVI.

De orationibus pro saluatione pii Ottonis in monte S. Michaëlis factis, et de uisione Ellenhardi *senioris.*

QVo uiso *Adalbertus* interpres nimio terrore concussus, perniciter *frantiscam* barbari manibus eripit et abscondit, omnesque insolito horrore circumfusi sacrilegum inuadunt et mortem ei intentant. Sed pietas *Ottonis,* ne quid mali homicida patiatur, obsistit eique, licet indigno, uitam et salutem impetrat. *Adalbertus* autem, in lacrymas erumpens et montem *sancti Michaelis* Babenbergensem D deuota inclinatione salutans, *hic,* ait, *ictus sine dubio precibus fratrum coenobii sancti Michaelis a domino meo episcopo diuina protectione est auersus, quia barbarus iste, naturali ingenio callens, ita sagittandi uel manu feriendi peritia est imbutus, ut etiam angusti foraminis orbem non frustrato ictu oppetere idoneus esset.* Illo etenim tem-E pore preces et supplicationes magnae, sicut et semper, apud nos fiebant pro dilectissimo patre Ottone, qui nos pro aliis mirum in modum, materno potius quam paterno affectu, iugiter fouere non desiit; adeo, ut quadam uice, cum ad curiale colloquium a serenissimo rege LOTHARIO euocatus, apud *Magdeburgensem* urbem grauiter aegrotaret, accito diuae F memoriae *Hermanno* abbate nostro, per quem tunc etiam, praeter alia dona, trecentas nobis marcas transmisit, in hanc lugubriter erumperet uocem: *O quam incomparabilis me detinet gemitus, quod in hac aegritudine tam longe remotus sum a dulcissimo requietionis meae loco, monte uidelicet domini et patroni mei beati Michaëlis archangeli, ubi corde et animo ita G fixus inhaereo, ut, teste domino, si in hac hora illic positus essem, mille marcas huic beneficio non praeponerem.*

Amor S. Ottonis in monachos.

Quia ergo charitas exigit charitatem, speciali eius amori, de cuius capite, ut scriptura loquitur, *oleum non defecit,* id est, meriti eius charitas nunquam excidit,

Gratitudo monachorum S. Michaelis erga S. Ottonem.

dit, ſpecialem orationis intimae deuotionem rependere curauimus. Nam ut de caeteris ſileam; *Ellenhardus* ſenior noſter, uir totius prudentiae et pietatis, ac ſingulari compunctionis et humilitatis dulcedine amabilis, nocturnas fratrum uigilias orando praeuenire ſolitus, pro ſalute pii Ottonis placidas diuinae clementiae aures lacrymoſis ſingultibus eo usque pulſare non ceſſabat, donec deſideratum eius reditum caeleſti reſponſo audire meretur. Cum enim nocturno tempore, more ſuo, in tenebroſis gradibus capellae ad ſanctas uirgines intimis pro dilecto patre inſiſteret precibus, ſubito clara luce, in eodem loco, emicante, audiuit dicentem ſibi; *exauditus es pro pio Ottone; ſaluum eum recipies.* Sed his paulisper neceſſario inſertis, nunc reuertamur ad ordinem.

Preces pro S. Othonis reditu.

CAPVT XVII.

Quomodo Stetinenſes fidei reconciliatos duci ſuo reconciliauerit et de interitu ſacerdotum epiſcopo inſidiantium.

Stetinenſium legatio ad Ottonem S.

IGitur confirmatis in fide et doctrina domini *Stetinenſibus*, cum uir Dei *Vznoym* redire diſponeret, accedentes ad eum urbis eiusdem ciues ſuppliciter rogabant; *ut diſcordiam, quae inter eos et ducem Wortizlaum diabolo inſtigante conflata erat, ſuo interuentu diſſolueret.* Ad haec ille, *faciam*, inquit, *ut uultis, ſed peto legatos honorabiles ex parte ueſtra mecum dirigi, qui pacis huius munia nobis reportent et, ſi dux iuſtae aliquid habet querelae, de obiectis rationem reddant.* Confeſtim legati Stetinenſium bono paſtori aſſignantur; qui etiam non paruo in eadem uia praeſuli almo fuere praeſidio. Nam duo pontifices idolorum uiro Dei mortis laqueos intenderant et milites octoginta quatuor clam praemiſerant, qui eum obſeruantes in reditu iugularent et caput eius palo infixum ſibi remitterent. *Sed non eſt ſapientia, non eſt fortitudo, non eſt conſilium contra dominum.* Nam et pius Otto diuina ſe protegente gratia illaeſus exiuit, et infideles illi laqueum et foueam, quam parauerant, inciderunt. Abeunte enim praeſule beato, maior ille pontifex idolorum conuocatis amicis ſuis magno laetitiae tripudio eos diem feſtum diis ſuis agere praecepit, dicens: *Deus noſter, quem antiquus ille ſeductor exterminare conatus eſt, apparuit mihi, et ſine ambiguitate caput Ottonis hodie amputandum mihi transmittendum intimauit.* Cumque haec furibunda et cachinnanti uoce promiſiſſet, ſtatim a diabolo confractis ceruicibus caput eius retrorſum eſt horrendo et mirabili ordine transuerſum, cerebrumque loco ſuo exiliens crudeli impetu parieti eſt appulſum. Quo uiſo amici eius uehementer obſtupefacti, cauſam inſolitae huius calamitatis ab eo ſuſcitantur. At ille diu horriſono ſonitu increpitans tandem erupit: *quia*, ait, *ſeruo Dei inſidias tetendi et uos a uia ueritatis ſeparare cogitaui, terribiliter a Deo percuſſus ſum.* Et his dictis exſpirauit, tantoque faetore locus eſt ille repletus, ut nemo illic, moriente eo, prae intolerantia faetoris conſiſtere ualeret. Et ut ſcriptum eſt, *peſtilente multato ſapientior erit ſapiens*, omnis populus, audito eius interitu, magis ac magis in fidei perſeuerentia eſt confortatus. Alter uero ſacrilegus pontifex nec ſic compunctus eſt, ſed uiro Dei conuicia irrogans, aiebat, *doctrinam eius in illis partibus abolendam* et, quos poterat, a uero tramite conabatur auertere, unde et ipſe iudicio Dei poſt modicum interit. Nam dum cauſa quadam ingruente nauigio mare tranſiret, pro corporali neceſſitate egreſſus, uicinae ſiluae latibula petiit, moxque nonnulli ex comitibus ſuis, nutu Dei, zelo iuſtitiae armati, ipſum clam inſequuntur, et apprehenſum crudeli laqueo in ſpiſſioribus locis ſuſpendunt, ſicque dolor eius et iniquitas in uerticem ipſius deſcendit. Cum ergo milites octuaginta quatuor a profano illo ſacerdote idolorum, ut ſupra diximus, praemiſſi, uirum Dei nauigantem aſpexiſſent, ex inſidiis erumpentes, *quo tenderet*, clamoſa uoce requirunt: reſpondentes legati Stetinenſes, *cur hoc inquirerent*, uiciſſim percunctantur. At illi uoces ciuium et amicorum ſuorum agnoſcentes gradum ſiſtunt, ſeque praeſentiam eorum illic neſciſſe fatentur. Illi uero econtra, *antiſtes*, inquiunt, *domini diſcordiam inter ducem et nos inueteratam diſſoluere intendit, ideoque non patiemur eum quicquam moleſtiae in hac uia incurrere, ſed mortem pro eo ſubire parati ſumus: ergo, ſi conſultum uobis eſſe cupitis, uia, qua ueniſtis, quantocyus reuertimini.*

Sacerdotes idololatrici S. Othoni mortem intentantes

Ut emendam poenam luunt.

CAPVT XVIII.

Quomodo epiſcopus tranſitis inſidiis Iulinam *uenerit et ipſam de apoſtaſia correxerit, et de illuminata caeca muliere, et de filio militis lunatico in papilione reliquiarum liberato.*

SIc igitur nutu Dei caſſata eſt iniqua ſacrilegi pontificis machina et ſeruus domini urbem *Iulin*, dudum a ſe rectae fidei ſacramentis initiatam, adiit. Cumque eos doctrinis pariter et exem-

exemplis in domino confortaret, mulier quaedam luminibus orbata uestigiis eius prouoluitur, *benedictionem ab eo et remedium* instanter efflagitans. Quod pius Otto iocunariter suscipiens, *ecce*, ait, *ecclesia sancti Adalberti martyris praesto est, illuc credens Deo et sanctis eius curre, tangensque campanam auxilium martyris Christi implora.* Solebant enim *rudes adhuc in fide barbari*, cum aliquod in ecclesia remedium flagitabant, *campanae sonum, quasi sanctos per hoc ad subueniendum excitantes, mouere.* Quod cum illa *simplicitatis* intentione credens exsecuta fuisset, illico lumen recepit et, exiliens cum gaudio, ad seruum Dei regressa pro sanitate recepta gratias egit immensas. Cui ille, *non mihi*, inquit. *sed Deo et sanctis eius gratias age et in fide, quam didicisti, usque in finem perseuerare non desinas.* Post haec miles quidam, habens filium *lunaticum*, seruo Dei eum adduxit, boues quatuor, ut sanitati puerum restitueret, obtulit. Qui humilitatis gratia haec refugiens ait: *Erras homo, non est hoc meum, sed perge ad tentorium, ubi reliquias sanctorum positas habeo, ibique Deo et sanctis eius uota tua pro filio credulus offer, statimque saluum eum recipies.* Qui pergens cum puero fecit, ut doctus erat, moxque filium incolumem uiro Dei gratulabundus repraesentauit.

Campanae S. Adalberti tactu mulier caeca uisum recipit.

Lunaticus mediantibus reliquiis curatus.

CAPVT XIX.

De Bocho *presbytero et segete incensa, in die sancti Laurentii martyris, et de muliere a morte reseruata et de milite frenetico sanato.*

Rustici in festo E. Laurentii *laborantes*

ACcidit post haec in festo beati *Laurentii*, ut presbyter quidam, ex comitatu pii *Ottonis*, nomine *Bockeus* praeteriens uideret rusticos in agro frumenta metentes, quos modeste compescuit dicens: *Miseri quid agitis? Hodie natalis dies est beatissimi martyris Laurentii, qui totius ecclesiae summa ueneratione celebratur, et uos infelices hunc uiolare praesumitis?* At illi, *non*, inquiunt, *omni tempore sabbatizare possumus, expedit etiam necessaria domibus nostris aliquando prouidere.* Bockeus autem feruens in spiritu, *scio*, ait, *non impune uobis uiolationem huius sacratissimae solempnitatis cedere, sed caelesti igne omnia, quae illicite messuistis, consumenda fore noueritis.* Vix haec ediderat, et ecce iuxta uerbum eius ignis Dei cecidit e caelo, tactasque messes eorum usque ad fauillam consumpsit. Qui reatum suum agnoscentes ac per hoc supplici-ter ueniam expetentes in magna deinceps reuerentia eximium Christi martyrem *Laurentium* habuerunt, se suaque omnia illi tuenda committentes. Item in urbe *Games* dicta rusticus quidam cum coniuge sua ad metendum exierat in solempnitate assumptionis Dei genitricis Mariae perpetuae uirginis; quod cernens praedictus uiri Dei assecla *Bockeus*, zelo iustitia motus redarguit dicens: *cessate infelices, cessate, nullo modo fas est huic deseruire operi in tam celebri sacratissimae matris domini festiuitate.* Erat autem feria secunda. Et illi, *hesternam*, inquiunt, *diem dominicam feriatam habuimus; hodie autem operi manuum intendere debemus.* Bockeus autem, *et hodie*, inquit, *summa deuotione feriandum est nobis in honore matris domini, cuius ueneranda assumptio uniuersam Christi exornat ecclesiam.* Illis autem non acquiescentibus, sed obstinata mente caepto labori insistentibus, religiosus sacerdos *Bockeus*, *quia*, ait, *uerbis meis non creditis, sanguis uester erit super caput uestrum, iam nunc transgressionis huius uindictam euidentibus rerum indiciis experiemini.* Nec dum uerba finierat, et ecce rusticus ille incredulus cecidit retrorsum et exspirauit, partemque segetis, quam metendo apprehenderat, tam forti annisu etiam moriens manu retinuit, ut nulla quisquam ratione uel manum aperire, uel segetem eruere posset, sed miraculi ordine cum hac stupenda alligatione tumulo traderetur. Mulier autem interuentu Dei genitricis uitae reseruata, sed simili prodigio alligata: scilicet digitis cum segete palmo insolubiliter adhaerentibus tremens ad uirum Dei Ottonem cucurrit, delictumque suum humili confessione detegens ueniam suppliciter expetiit. A quo protinus consignata et ad memoriam sancti Adalberti martyris, illic constitutam, transmissa curata est. Et ex eo specialis dominae nostrae perpetuae uirginis reuerentia in illis partibus, sicut et in omni christianitatis loco, excreuit. Post haec miles quidam *frenesi* laborans insano clamore et horrendis membrorum motibus cunctis onerosus erat. Socii uero et cooperatores uiri Dei importunitatem uesaniae eius non ferentes, apprehensum eum in locum, ubi seruus Dei orare et missarum solemnia celebrare solebat, attrahunt. Erat enim tabulatum ligneum illic extructum: ubi dum miles aliquandiu decumberet, repente sanatus est, et exiliens gratias egit Deo et beato praesuli, multisque uerbo et conuersatione saluti fuit.

frumenti combustione puniuntur.

Alius rusticus ob eandem causam mortem oppetit

Mulier eius prodigio emendata saluatur.

Phreneticus sanatur precibus S. Othonis.

CAPVT XX.

De bello inter Ruthenos ac Stetinenses et de uictoria Stetinensium.

Igi-

Gaminenses reuerenter excipiunt S. Ottonem.

IGitur electus Dei pontifex cum legatis *Stetinensium* ad ducem Pomeraniae tendens urbem *Gaminam* adiit, ubi, occurrente sibi duce *Wortizlao* cum omni plebe, debita reuerentia uelut angelus Dei exceptus est. Cumque ecclesiam ingressus solita Deo precum ymnorumque uota persoluisset, causam pro qua uenerat, tractare coepit et, uti bonus pastor gregi suo, ubique prospiciens, *in unitate semper diuisa membra ecclesiae paci studuit reformare.* Dux autem piissimi apostoli sui uerba, ac si caelitus ad eum delata, suscipiens benigne humiliterque respondit: *Tuum est, pater amantissime, quicquid dignatus fueris, non petendo a me, sed magis praecipiendo exigere; et nos enim et nostra omnia tua sunt, quia in Christo Iesu per euangelium nos genuisti et tenebris ignorantiae nostrae aeterni solis splendorem infudisti. Populus iste, pro quo petis, durae ceruicis est, nec Deum nec homines reueretur, multo iam tempore rapinis et latrocinis regnum meum uastando maculauit; sed tu, pastor dulcissime, efferos mitigasti, de lupis agnos fecisti, ideoque pacis firmissimae gaudia deinceps te mediante obtineant.* Statimque legati *Stetinensium* uestigiis eius aduoluti omnem prioris discordiae occasionem penitus abdicarunt, pacisque osculo a duce percepto beato pontifici debitas reconciliationis huius gratias egerunt, emptisque, prout uolebant, necessariis, quod antea discordes nullo modo praesumpserant, in sua ouantes remearunt. Sed quia bonos semper insequuntur mali, ut ESAIAS ait, *qui recessit a malo, praeda patuit, Rutheni*, paganicis erroribus adhuc irretiti, audita Stetinensium conuersione grauiter indignati, quod sine respectu et consilio eorum idolis renuntiantes christianam subissent legem, bello eos lacessere ueriti non sunt, et coadunato grandi exercitu ripas fluminis obsident, aciem horrisono armorum apparatu instructam statuunt et, *ubi sit Deus eorum? uel si inuocantibus se succurrere possit?* insano clamore perquirunt. Illi autem uexillum dominicae crucis praeferentes primo impetu eos in fugam propellunt. Sequenti nihilominus die uelut canes reuersi iterum christianis bellum indicunt; sed eodem modo uicti et confusi terga uertunt. Tertia die usque ad internecionem deleti exclamant, *Deum christianorum inuictum esse et, si parceretur eis, nequaquam ulterius temere quid acturos*, moxque parcentibus christianis dimissi, cum timore magno et confusione in sua singuli regrediuntur. Antistes autem domini, bona pro malis reddere satagens, eosdem Ruthenos, qui plebem adhuc in fide neophytam bello turbare non timuerant, christianis legibus imbuere desiderabat. At illi indurata fronte saepius ei per legatos suos denuntiabant, *quia si ipse uel quisquam suorum fines Rutheniae praedicandi gratia adire praesumeret, sine mora capitibus amputatis ad lacerandum bestiis exponerentur.* Sed ut scriptum est, *iustus quasi leo confidens absque timore erit*, piissimus pater alacri deuotionis feruore semen fidei *Ruthenis* spargere disponebat, non ueritus incredulae gentis experiri ueritatem; amator enim Christi ardentissimus dulcem uitam pro dulcissimo Iesu fundere iam olim sitiebat. Audiens uero *archiepiscopum Danorum*, qui dominabantur super eos, edicto domini apostolici praedicatorem eis directum, nullomodo sine consensu et uoluntate eius id agendum censuit. Vnde legatum fidelem *Yuanum* nomine, Danorum pontifici direxit, qui solicite inuestigaret, *si iuxta mandatum apostolici Ruthenis uerbum salutis erogare disponeret, uel si eum sponte se ingerentem opus euangelii uice sua aggredi mallet:* per quem etiam more suo, quia liberalissimus semper erat, praefato Danorum praesuli *balsamum nouum* cum *stola pretiosa* transmisit. *Yuanus* uero tarde post sex ebdomadarum circulum reuersus responsum archiepiscopi retulit: Videlicet *se cum principibus terrae suae et natu maioribus, quid de his censeant, proxima synodo collaturum, hocque sibi quantocyus legatione fida designaturum.* Sed et nauiculam *butyro* refertam idem archiepiscopus beato patri nostro pro munere direxit.

Rutheni Stetinenses propter receptam fidem bello uexantes

Terga uinciuntur.

S. Otto redit in patriam.

CAPVT XXI.

De reuocatione S. Ottonis per Lotharium, *Romanorum regem.*

INterea gloriosissimus rex LOTHARIus, caeterique principes, diuturnam eius absentiam aegre ferentes, utpote qui consiliis et piis artibus, prae caeteris, tunc temporis regnum nobilitare consueuerat, auctoritate sua ei, ut celerius redeat, praecipiendo simul et petendo mandauit; adeo, ut ipse rex, qui arctius eum diligebat, iure iurando affirmaret, se res ecclesiasticas in suum redigere uelle dominium, nisi quantocyus sponsam suam ecclesiam Babebergensem, diu uiduatam, pastor pius desiderato reditu, consolando recrearet. Apostolus itaque Pomeranorum his legationibus contraire non ualens, antequam responsum archiepisco Danorum reciperet, ad sedem suam redire compulsus est.

Libo.

Lotharius rex minatur S. Ottoni, nisi reuertatur domum.

Visitatis ergo circum circa fidelibus, et in fide confirmatis, Christo, cui crediderant,

derant, eos commendans, iter cum suis aggressus est. Cumque emenso itinere *Poloniam* uenisset, *Bolezlaus*, antiquus suae familiaritatis custos, debiti honoris reuerentia eum excipiens, in metropolitana *Gnezensi* ecclesia secum detinuit, tantaque mellifluae eius doctrinae intendebat auiditate, ut euolutis octo diebus, uix dilecto patri licentiam abeundi indulgeret.

Amanter excipitur a duce Poloniae Boleslao.

Tandem longa peregrinationis huius angaria, Christo fauente, peracta, in uigilia *S. Thomae* apostoli nouus nostri temporis apostolus, ecclesiam suam desiderabili aduentu laetificans, omni utriusque professionis et sexus plebe in unum concurrente, uelut angelus Dei susceptus est. O quam inaestimabili spiritualis laetitiae tripudio fideles Christi, quorum specialis pater et nutritor piissimus hic erat, post tanti temporis peregrinationem, post acquisitum summo patrifamilias nouum gregem, quasi de morte redditum pastorem suum exceperunt. O quam desiderabile fuit uidere et audire tantam exercitus Christi multitudinem non solum canonicis, sed et monachis nobiliter refertam, uno deuotionis ardore cum lacrymis spirituali gaudio plenis in occursu eius dulcisono psallentem: *domine suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus ueniens uiuificasti me.*

Venit Bambergam in uigilia S. Thomae.

Gaudium ex aduentu.

Et congrue satis haec suauissima *Ioannis* apostoli uerba, quem singulari affectu patronum sibi elegerat, ita ut quotidie se obitumque suum intimis ei precibus commendaret, pio Ottoni, post secundum iam apostolatum triumphanti, ab omnibus filiis suis iubilo cordis et oris concinebant, quia beatus hic, memor uerbi domini per prophetam dicentis; *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt inglorii;* omne studium, quod alii pontifices et principes mundanis lucris et castellis, atque urbibus aedificandis insumebant, hic Deo tantum et sanctis eius honorabiliter, et officiosissime exhibebat; scilicet ecclesias Christi, cellasque fidelium, nunc quidem a fundamentis construendo, nunc uero ab aliis constructas donis optimis illustrando, ne super arenam, quantocyus casura, sed potius supra firmam petram in aeternum mansura conderet habitacula.

CAPVT XXII.

De uisione ostensa presbytero Lippoldo *de transitu S. Ottonis.*

CVius aedificationis gloriam in aeterna sibi patria repositam quidam ex fratribus nostris religiosus presbyter *Lippoldus* nomine, ante quinquennium, dormitionem beatissimi huius patris in uisione tali, domino reuelante, meruit contemplari. Montem quendam praecelsum, et omni amoenitate iucundum, contra orientem oculos dirigens, aspexit: cuius quidem speciosum cacumen ascendere non potuit, sed deorsum stans, uidit multitudinem copiosam plebis utriusque sexus et aetatis, ingentia lapidum pretiosorum onera super uerticem montis magna cum exultatione attrahere ac, suauissimum quoddam melos, quod intelligere non potuit, dulci modulatione concinere.

Visio Lippoldi presbyteri.

Tunc accedens, uacillante licet gressu, quendam ex eis canicie ueneranda conspicuum uocauit; et quae haec esset multitudo, uel cur lapides illos in cacumen montis attraherent, inquisiuit. At ille; nos, inquit, sumus, qui eleemosynas et beneficia plurima a pio Ottone percepimus, ideoque domum pretiosam ei in supercilio montis huius aedificamus. Cui LIPPOLDVS: *et quando*, ait, *domus haec consummabitur?* Ille uero, *post quinquennium*, inquit, *perfecta domo, cum laetitia et exultatione eum huc introducemus. Sed tu caue, ne cuiquam haec ante quinquennii tempus expletum manifestare praesumas.*

Et his dictis, sublata est uisio, quam tempore dormitionis beatissimi patris nostri, ex ore eiusdem senioris Lippoldi audiuimus, qui et ipse tunc graui et longiturna decumbebat aegritudine, nobisque cum lacrymis haec referebat; et morbo confectus VII. idus Augusti beato fine requieuit in domino.

Obitus Lippoldi.

CAPVT XXIII.

De uisitatione fratrum in monte S. Michaëlis per S. Ottonem facta.

SEd ut ad priora redeam, pius pater noster Otto post longam reuersus peregrinationem, more suo nos uisitans, utpote cum quibus cor unum et animam habebat, requisiuit; quinam ex nobis, eo absente, uiam uniuersae carnis ingressi essent? Hoc enim semper de qualibet profectione rediens affectu paterno solebat inquirere. Tunc autem sanctae recordationis *Adalbertus* eleemosynarius, uerus Dei seruus, et sibi familiarissimus, ad Christum, cui mente et corpore indefessam exhibuit seruitutem, migrauerat: cuius transitu uir beatus audito, totus in lacrymas resolutus, se infelicem clamitabat, quod tam beatae animae ad patriam claritatis aeternae migranti, solenne funeris obsequium exhibere non meruisset: erat namque idem frater noster *Adalbertus*, tanto diuini

Adalbertus eleemosynarius.

S. Otho mortem Adalberti lacrymis prosequitur.

ni amoris igne succensus, ut quotidianis atque uberrimis lacrymarum fontibus gaudia caelestia patriae anhelaret, corpus etiam uigiliis ac ieiuniis conuenienter attenuaret.

Charitas Adelberti in egenos et leprosos. S. Greg. Homil. 39. in Euang.

Huic seruo Dei pauperum cura erat delegata, quam tanta humilitatis deuotione agebat, ut ad exemplum martyris monachi, de quo beatus *Gregorius* refert, propriis humeris leprosos baiularet, et tam eos, quam et alios diuersis morborum generibus pressos, quos uidere horrori erat, suis manibus alacriter balneis et lauacris unguentisque foueret, cuius seruori pius Otto congratulatus, omnia alendis inopum turbis opportuna liberalitate subministrabat. Nec his contentus, etiam per semetipsum, famis tempore, pauperibus seruiebat, ut non tam oblatione munerum, quam etiam proprii corporis sudore, gratum Deo eleemosynae sacrificium celebraret.

Multitudine autem innumerabili, prae famis magnitudine, ex omni regione confluente, erant quidam inter eos fortiores, qui debilioribus alimenta uiolenter manibus extorquentes surripiebant. Quorum clamorem ac ploratum uir beatus non sustinens, prudenter huic negotio occurrit, suisque imperat, ut primum conuenientibus eis, quoslibet corpore ualentiores segregatos uno omnes in coenaculo concluderet, donec infirmis ac debilibus uictum congruentem suis manibus ministraret: quos statim abire, longiusque de loco secedere iubet, ne sociis de coenaculo emissis, iterum praedae fiant: tuncque domum ingressus, pauperibus inclusis, largam alimoniae opem exhibebat, praecipiens ne amplius uiolentiam hanc fratribus suis inferre praesumerent.

Haec apud suos agebat; extraneis autem et trans mare positis Christi pauperibus, per fideles nuncios apparabat. Nam per charissimum fratrem nostrum *Eberhardum*, adhuc in ordine canonicorum Christo militantem, xenia sua Hierosolymam transmisit, sicut et specialiter cum religiosis quibusque sepulchrum domini uisitantibus agere solebat: sed et pecuniae maximam quantitatem *Hirsaugensibus*, aliisque monasteriis longius remotis, per fratrem nostrum *Suuiggerum*, famis tempore, dirigebat; ideoque Christi bonus odor in omni loco erat.

Adelbertus Hierosolymam quoque eleemosynas mittebat. Eiusdem benignitas in diuersa monasteria.

CAPVT XXIV.

De transitu pii Ottonis.

IGitur completo cursu praesentis uitae, in senectute bona, cum iam tempus adesset, ut fidelis dispensator summi patrisfamilias, in gaudium domini sui intraret, pius OTTO dolore corporis, id est, fluxu sanguinis uehementissimo, tactus est, ut uelut aurum in camino aegritudinis purgatus, introire mereretur aulam, quae nullam recipit maculam; sed ipse memor scripturae dicentis, *quem diligit dominus, corripit;* et in alio loco ipsum dominum loquentem audiens: *Ego quos amo arguo et castigo;* gratias agebat in infirmitatibus suis, regemque gloriae in decore suo uidere desiderans, exitum suum Deo ac beato *Michaëli*, sanctoque *Ioanni* apostolo, quos speciales sibi patronos elegerat, quotidianis suspiriis attentius commendabat. Tantum uero lumen ecclesiae dum infirmando obscurari coepisset, Christi fidelibus, omni tempore dulcissimo eius affectu et prouisione enutritis, inaestimabilem moeroris fletusque caliginem obduxit. Sed pius pater filiorum lacrymas, quantum poterat, consolando tergebat, tantaque uirtute artus morbo satiscentes spiritui seruire cogebat, ut excepta dormitionis suae die, non lecto decumberet, sed quotidie in sede sua residens, interdum quoque baculo sustentante procedens, psalmis et orationibus uacaret, quodque rarum est, etiam oleo infirmorum non iacendo, sed sedendo perungeretur.

S. Otho incidit in morbum.

extrema unctione inunctus,

Adueniente igitur festiuitate sacratissima apostolorum Petri et Pauli, cernens diem uocationis instare, *Egilbertum*, maioris ecclesiae decanum, qui ei in episcopatu successit, euocat: cui, adstantibus religiosis abbatibus et presbyteris, omnia sua commendauit, dicens, hodie natalitius dies est domini mei principis apostolorum Petri: cui, quaeso, res a Deo mihi donatas, offerte, ut ipse mihi ianuam regni coelestis aperire et cum collega suo magistro gentium Paulo, me illuc quantocyus dignetur introducere. Locum requietionis meae, montem uidelicet patroni mei, beati Michaelis archangeli, quasi uiscera mea fouete et tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus, profectui eius, in consolationem animae meae, omnimodis inuigilate. Scitis enim, quam tenuis et exiguus, omnique monasticae religionis uigore destitutus hic locus a me inuentus: et quomodo, cooperante Deo, per ministerium meum, ad tantum spiritualis uitae cultum profecerit, ut speculum et gemma omnium in hac regione monasteriorum a cunctis censeatur. Praestet Deus, ut nomen hoc inuiolabile usque ad finem obtineat, cunctisque fidem ei, et reuerentiam seruantibus, pax et benedictio hic et in æternum a Deo recompensetur.

uocat ad se decanum maioris ecclesiae,

Commendat ei montem S. Michaelis.

De caetero dilectionem uestram, cum uniuerso ouili meo, summo pastori, qui uos mihi assignare dignatus est, commendo; ipse uos integros mihi reconsignet in requie claritatis aeternae. Et data super eos benedictione, non sine lacrymis paternum amorem testantibus emisit, sumptoque mysterii salutaris uiatico, peruigil in orationibus excubabat, ut pulsanti et uocanti domino cum exultatione aperiret.

Nocte ergo, qua festiuitas S. Pauli apostoli agebatur, in supremo spiritu constitutus, et iam carne praemortuus, corde tamen et flagrantissima uoluntate diuinis intendebat laudibus, ita ut clericis matutinale coram eo officium personantibus, ille eleuatis manibus, sursumque oculis desideranter erectis, ad singulas lectiones, uoce, qua poterat, *Deo gratias*, responderet: sicque pius OTTO feria sexta, hora diei prima spiritum Deo reddens, beatis sedibus et semper charissimo tandem perfruitur Christo.

Obitus S. Ottonis.

Et iam fama uolans tanti praenuncia luctus non solum uicina, sed et remotiora quaque monasteria, iugiter ab eo necessariis uitae adminiculis sustentata, inaestimabili perculit moestitia. Nec immerito. *Ostendit* enim *dominus populo suo dura*, potauit eum uino compunctionis et *inebriauit absynthio*, cum patrem desiderantissimum sustulit, cuius defensione et eleemosynarum uirtute pax ecclesiae, tanto tempore, nobiliterque florebat, sub quo monasticae religionis perfectio noua de die in diem incrementa capiebat.

Psalm. 59. Threnor. 3.

In quo deinceps patrono tam solidum erit pauperum Christi solatium? Qui iure cum apostolo aiebat: *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Quis ad eum tristis uenit, et non gaudens abscessit? Quis opem eius in tribulatione sua expetiit et non impetrauit? Merito itaque transitum eius ecclesia flebat, cuius uita tantopere gaudebat; sed fides resurrectionis flere prohibet, gemitum uero affectus extorquet. Etenim tam sancta est de illius gloria exultatio, quam pius de transitu luctus. Ignoscendum est flentibus, gratulandum gaudentibus, quia pium est gaudere Ottonem, et pium est, flere Ottonem, dum unusquisque et sibi praestat, ut doleat; et illi debet ut gaudeat.

2. Corinth. 11.

Venerabile corpus eius, a religiosis uiris curatum et aromatibus conditum, per singula monasteria est deportatum, illicque uigiliarum excubiis ac missarum solenniis honoratum: ad extremum in montem S. Michaelis archangeli, specialis patroni sui, defertur; ibique in ecclesia, quam ipse uetustate collapsam in maiorem statum a fundamentis reaedificauerat, debito cum honore excipitur.

Exequiae pro S. Othone.

Illic uero, in obsequium funeris, credi non potest, quanta hominum multitudo confluxerit. Tota obuiam corpori ciuitas fuit; cuncti ex agris atque uicis, multique ex aliis urbibus et regionibus affuerunt. O quantus luctus omnium, quanta praecipue moerentium lamenta monachorum et pauperum Christi; qui uelut pulli sub aliis piissimi patris securi tanto tempore quieuerant, seque tam desiderabili nutritoris sui praesentia fraudari, ac defensione nudari cernebant; quodque sine gemitu referre non possumus; cum sacerdotes religiosi corpus sacrum, choro *S. Michaëlis* inferrent humandum, ubi ad limen interius uentum est, praecentor antiphonam, *domine suscipe me;* imposuit; tantus subito ploratus omnium exortus est, ut ipsi etiam funeris baiuli nimio fletu concussi cum pheretro subsiderent, ac paene terrae procumberent.

Concursus ad exequias.

CAPITVLA LIBRI QVARTI DE GESTIS ET MIRACVLIS SANCTISSIMI OTTONIS BABENBERGENSIS EPISCOPI AC POMERANORVM APOSTOLI.

Narratio per modum prologi.
CAP. I. De muto sanato.
II. De caeco sanato.
III. De puero sanato.
IV. De puero et puella.
V. De quodam ciue ferro in gutture sauciato.
VI. De equestre dolore coxarum uexato.
VII. De puero contracto.
VIII. De muliere algore mortua et infantulo uiuo relicto.
IX. De infantulo clauo in gutture merso.
X. De contracto.
XI. De puero graui infirmitate detento

Prea-